# EXERCITATIO MEDICA
DE
# CAPITIS DOLORE,

QVAM
BENEDICENTE SUPREMO NUMINE
Amplissima Facultate Medica annuente
PRÆSIDE

GUNTHERO CHRISTOPHORO SCHELHAMMERO D.

*publico φιλιατρῶν examini exponet*

THEODULUS KEMPERUS, Goslariensis

in Auditorio Medicorum
*ad diem* 23. *Martii*
ANNO M. DC. LXXIIX.

---

J E N Æ,
Literis Johannis Jacobi Bauhoferi.



SERENISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

# DN. FRIDERICO,

DUCI SAXONIÆ, IULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI IN MARCA ET RAVENSBURGI, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c.
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

*hanc dissertationem*
*humillima devotione*
*consecrat*
Serenissimæ suæ celsitudinis
subjectissimus
GUNTHERUS CHRISTOPHORUS Schelhammer / D.



# EXERCITATIO MEDICA
*de*
# DOLORE CAPITIS.

## *Procemium.*

SI quis per humani corporis animique facultates earumque classes mentis oculos circumferat, & quid unaquæque cœteris præstet, quibus prærogativis emineat, perpendat diligenter, fatebitur equidem nihil post rationem sensibus præstantius hominibus datum. Per hos & scientiæ & voluptates ad nos omnes perveniunt; docemur, delectamur, vivimus. Ea|enim demum vera vita est, quam honesta voluptas quam nostri ipsius & illorum quæ nos circumstant notitia oblectat ac perficit.

Non est animus in singulorum enarrationem excurrere: infinita eorum oblectamenta sunt, innumeræ utilitates, quæ nulla unquam dicendi vis, nulla Rhetorum peritia, quamvis summa, digne retulerit. Ut autem sua cuique sensui constet laus & visum auditumve; qui nobis ad scientiam & eruditionem dati potissimum videntur, ea ratione reliquis antestare nemo facile negaverit: non tamen aspernandis prærogativis etiam tactus gaudet; quibus socios superare, & supra illorum conditionem sese extollere videri queat. Τὸ δὲ ζῶον, ait *Philosophus II. de anima c. 2.* Διὰ τὴν αἴσθησιν πρώτως αἰσθήσεως δὲ ὑπάρχει πρῶτον πᾶσιν ἁφή. *Animal quid est ob sensum primario, at vero ex sensibus tactus primo cunctis animalibus inest.* Et ita quidem esse, norunt illi qui in fœtus contemplatione exercent animum. In ipsis enim vitæ rudimentis statim cum saliente puncto ille apparere incipit quamprimum motus ejus oculis discerni potest, ubi irritatum acus cuspide, contrahit sese & ejus aciem refugit. Et quid si dicamus, etiam ultimum esse ex sensibus & serius cœteris hominem linquere? Quod profecto, licet prima fronte paradoxon & à veritate alienum videri queat, non desunt tamen argumenta quibus eum non nisi cum vitâ animal destituere colligatur. Nam & in omni particu-

 lari

lati corporis affictione vitam à parte aliqua non prius abesse judicamus quam sensu externô careat, atque adeo vitæ proprium tum κριτήριον habetur; & in illis qui morti proximi sunt, partes sensim emorientes cum motu etiam sensum perdunt. Et quamvis in nonnullis auditus vel visus diutius videatur nobis constare, tamen non est dubium, cor ad ultimum usque suspirium, & extremum pulsum tactum conservare. Quod si ergo cor principatum sibi vendicat partium, quia primum vivens & ultimum moriens est, quid prohibet principatum quendam sensuum tactui attribuere, qui vitæ perpetuus & inseparabilis est comes?

Neque vero nativitate solum, & quasi generis antiquitate antecellit, sed & necessitate ac usu. Ita enim *idem Philosophus: III. de anima* 12. cum ostendisset, gustum tactum esse quendam, & sub eo contineri: ἄυται μὲν ὖν ἀναγκαῖαι τῷ ζώῳ καί φανερὸν ὅτε ὑχ οἷόν τε ἄνω ἀφῆς εἶσι ζῶον. αἱ δὲ ἄλλαι τῦ τε εὖ ἕνεκα. *Hi igitur sensus necessarii sunt animali, atque perspicuum est fieri non posse ut sit animal, absque tactu. At cæteri sensus boni sunt gratia.* Idque videmus, plurimos visu, vel auditu vel odoratu destitui, tactu autem (sub quo cum Arist. gustum nunc comprehendimus) quod careat animal, nullum unquam repertum fuisse existimo. Nam cum eapropter potissimum animali datus sit, ut ea quæ externe illata destruere corpus possint, dijudicet, atque evitet, manifestum statim fit, si tactus tollatur, conservationem ejus non parum periclitari & vel seipso ignaro, illico periturum. Hic igitur sensus est qui ad vitam conservandam nobis imprimis datus, eaque causa videri posset, quod de hominis, animalis omnium nobilissimi salute maxime omnium sollicita natura ipsi exquisitissimum tactus organon concesserit. De quo iterum *Aristoteles Histor. anim. l.15. in fine* testatur, ubi tactum è sensibus omnium exquisitissimum homini datum, deinde gustum asserit, reliquis eum à multis superari. Fit autem illud ideò, quod cœteris terræ animalibus præter cutim aliud fere munimentum regioni ubi vivunt, & è qua migrare nunquam solent conveniens superaddere natura consuevit, ac vel duro insuper cortice vel pelle involvit, quæ contra externas injurias melius ea tueatur, atque ob id tactus organon altius immersum gestant, ideoque minus sentiunt. Quam sententiam canes illi quos Gvinea imprimis ad nos transmittit, confirmant, depiles, & omni ex parte calvi, *de quibus vide ingeniosissimi Pechlini de Habitu & colore*

*Æthio-*

*Æthiopum libellum nuper editum c.* 5. Hi enim nudi ut homines, externas aeris injurias & frigus nostrarum regionum ægerrime ferunt, indicio, non minori fortassis acribeia sensus quam homines, præditos esse. Inde etiam patet, (quod obiter hic moneo,) cur tantam calidorum effluviorum copiam emittant, ac morbis per transplantationem recipiendis, quod de eis annotavit *cit. loc. laudatus Pechlinus*, commodiores esse possint. Neque dubium etiam est, non aliam ob causam epidemiis morbis ac contagiosis sæpius homines, raro cœtera animalia tentari.

Sed ut in viam redeamus, è qua secessimus: Non his tantum quæ ex Philosopho in nostram attulimus sententiam sed aliis etiam plurimis nominibus tactus se nobis præ cæteris commendat, voluptate imprimis quæ corpus spectat, quæ in hoc reperitur omnium maxima, ut non minus ad cognitionem quam animi nimio studio defatigati relaxationem nobis largitus videatur. Cujus quidem sententiæ testimonia non è longinquo arcessere, habemus necesse, cum plerisque hominum magis quam par sit, nota sint; nec desint unquam qui usque adeò blandimentis hujus sensus decipiantur, ut quod ad animi solatium & suæ gentis conservationem ipsis concessum est, ad illius sæpenumero perniciem, & proprium illis interitum inserviat.

Verum ut nihil in hac rerum omnium imbecillitate tam laudabile invenitur atque excellens, quod non sua patiatur mala, sic ipsa etiam illa organi tactus excellentia summæ sibi molestiæ ac miserrimi cruciatus origo est. Cum enim tàm exquisito polleat sensu, ut nihil illud vel leviter tangat, quod non afficiat, uti voluptatem, sic etiam dolorem summum esse necessarium fuit; ut dubites an naturæ gratias inde referre, an vero illius incusare iniquitatem, matrem an novercam prædicare debeas, dum terrarum ac mundi dominum & princeps animal tot miseriis præ reliquis animalibus exposuit, nec ipsum mentis domicilium caput ab illis exemerit injuriis, qui ab hac parte nobis quotidie imminent.

Cujus quidem, rei dignitate & magnitudine commoti naturam, causas, accidentia & medelam seposito partium studio, & omni mentis præoccupatione nunc paucis lustrare constituimus. Quod ut feliciter cedat, faxit Deus.

# Cap. I.
## De dolore in genere.

Nominis æquivocatio. Tactus organon quid: Malpighii sententia de papillis nerveis. Ea modeste examinatur. Fibra membranea est organon tactus genuinum, etiam in carnosis partibus. Causa doloris. Voluptatis causa: pingvia cur lenientia, pruritus. Cartesiani taxantur. Dolor quid. Non est actio depravata, quod fuse probatur. Nec aucta, sed symptoma plane singulare.

I.

Dolor quid sit, antequam explicare ingrediar, operæ pretium videtur, de nomine id unum monere, Hippocrati sæpius dolorem laboris nomine venire, ut *Aphor. IV, 32. & II, 6.* & alibi. Alias Græcis dolor Ἀλγη, & ἄλγημα est, unde & κεφαλαλγίης compositum est vocabulum. His ita præmonitis, ad ipsam doloris naturam propius accedimus, quam ut probe & accurate cognoscamus, primum quid in nobis dolore afficiatur, deinde quid afficiat, & quomodo id accidat, ordine perpendemus.

II. Et hic in amplissimam statim controversiam involvimur, inter antiquos & recentes naturalis ac medicæ rei antistites omnibus seculis agitatam, quodnam sit verũ tactus organon. Quamvis vero ex philosophis quæ de illo cognoscenda sunt, possimus supponere, lubet tamen ea, cum non parum in intimiore doloris cognitione nos juvare possint paucis delibare: nam omnes eorum recensere sententias, atque uniuscujusque argumenta expendere, neque operæ pretium puto, & ipsa rei vetat amplitudo, quæ tanta est, ut non paucas lineas sed integrum volumen posset occupare, nonnulli enim carnem, alii cutim, alii nervum, alii aliud quid tactus genuinum organon esse voluere. Id unum monere sufficiet, hodie plerosque omnes in membranam consensisse, nisi quod celeberrimus Malpighius abhinc fere decennio eam in dubium vocare cepit, qui postquam variis & elegantissimis passim inventis Physiologicam disciplinam auxisset, in lingua etiam papillares illas nerveas particulas reperisset, quibus gustum potissimum acceptum ferendum existimat, ulterius progressus, cutem eadem methodo qua linguam ante, examinavit, ibidemque easdem papillas vidit expandi, indeque eas tactus in cute, ut gustus in lingua organon constituit.

III. Verum, ne clarissimi viri sententiæ subscribam, tum alia faciunt

ciunt, tum præsens de dolore capitis meditatio. Cum enim dolor non in cute modo, sed variis etiam interioribus partibus, membranaceis imprimis, sentiatur, ubi tamen papillares istæ substantiæ nequaquam reperiuntur, primum illud manifestum est, in dolore partium internarum illas non affici. Igitur aut dolor ad tactum minime pertinebit, aut tactus organon adæquatum non erunt papillares illæ substantiæ. Dolorem vero ad tactum referendum esse, nemo quod sciam, unquam negavit. quamvis enim nonnullorum ea sit opinio omnibus sensibus illum convenire, inter quos nomen suum manifeste profitetur *Galenus L. de sympt. diff. c. 3. & l. de sympt. Caus. c. 6.* ubi id latius diducendo probat: & *Scal. de subtil. Exer. 298, 3. & alibi* idem sentit, hi tamen autores re ipsa minus quam verbis à nobis dissentiunt. Dum enim illa proferunt, dolorem pro quâcunq; tandem molestia accipiunt quæ in animo sentiatur, nec ad id requirunt ut aliquid mali patiatur corpus: at nos id plane necessarium in hoc de quo sermo est, dolore supponimus, sive ut apertius dicam, nos corporis dolorem, in sensus organo existentem, illi animi molestiam per sensum ipsi irrepentem; illi latius & pro quacunque molestia, nos specialius pro illâ quæ tactum spectat, doloris vocabulum accipimus. Et hæc ita se habere, vel inde patet, quod hi ipsi qui dolorem omnibus tribuunt sensibus, præter illum qui sensui cuique proprius est, etiam alterum illum tactus singulis sensoriis inesse concedunt, fieri scilicet duplices dolores, quosdam ab objectis tactus, quosdam ab objectis propriis. Et hi quidem autores voluptatis vocabulo haud dubie fuerunt seducti, cum scirent contrariorum eandem esse rationem, viderent autem ex omni pariter sensu ad animum voluptatem pervenire, ideoque etiam dolorem singulo tribuendum putarunt. Quæ cum ita sint, hæc sententia quæ nobis contradicere videbatur, non contradicit amplius, sed firmum manet ac inconcussum, dolorem proprie dictum ad tactum pertinere, ideoque alterum nobis videtur eligendum, non esse papillares illas substantias tactus adæquatum organon. Taceo alia adjumenta quæ non minus clarissimi viri sententiæ obstant, ut, quod papillas illas in animalium pedibus, corneis integumentis contra omnem sensum munitis extantiores reperisse ipse fateatur, item si tactûs adæquatum organon papillæ sint, gustui aliquid aliud præter hoc concedendum esse. Licet enim tactus species gustus omnino sit, quod Philosophorum princeps

non

non uno loco inculcat, oportet tamen ut quid insuper adsit, quod gustum ex tactu efficiat, & distinctum constituat sensum, alias & manus & pedes, & totum corium saliva illitum contrita ac comminuta edulia gustaret, quod tamen minime ita evenire, experientia testatur. Haud equidem ignoro quid priori meo asserto reponi possit, scilicet, dolorem non esse qualitatem tactilem, ideoque in organo tactus perquirendo non esse attendendum: quod verum fateor, attamen acuties quæ, ut mox ostendetur, dolores efficit, tactilis qualitas est, & res eodem abit, sive dolorem, sive acutiem ab internis partibus percipi affirmes.

Nolim tamen quis putet in summi viri industriam me injurium esse, quamvis enim adæquatum tactus organon esse papillares substantias negaverim, fortasse tamen ad eum aliquid conferunt, cum frigore in conspectum magis trahantur, & cutim tum magis scabram efficiant, quod anserinam appellare solent: sed quia illarum usus nondum satis patet, liceat nobis ad membranam redire.

IV. Hujus si naturam sciscitamur, ex infinitis fibrillis illam contextam reperimus, quarum per totum animale corpus regnum latissime omnium patet, nec ulla pars est, quæ fibra vel magis universalis vel prior illa sit in composito, similarium omnium maxime simplex & dissimilarium plurimarum principium & inchoamentum. Hæc enim non dictas modo membranas, sed & viscera interna omnia, musculos & vasa, vel ut principalis pars, vel ut stamen & fundamentum componit, cui sensim in formationem partium sanguis circumfunditur & in carnem ita induratur. Membranam itaque si sentit, illius ratione potissimum sentire eam credendum est. Quod autem sentiat, sitque illa imprimis pars de qua nunc sumus solliciti, satis mihi videtur evictum. cum enim cujusvis sensus organon ad objectum cognoscendum unice datum sit, id demum verum & adæquatum erit organon, quod objecti totam adæquat latitudinem, & quo posito, immediate sensus ponitur, tollitur sublato. Objectum autem tactus id omne est, quod nos tangendo afficit, quod uno vocabulo tactile nominare liceat: estque fere omnis corporea substantia pro diversis qualitatibus varie tactui sese offerens. Si ergo, quid in corpore sit, quod ejus respondeat amplitudini, & quo posito vel sublato, idem de tactu fiat, dispicimus, hujus generis nihil usquam invenire datur præter membranam ejusque fibras. Nam & omnes

reli-

reliquæ partes illis carentes ſenſum nullum habent, ut cerebrum, dentes, pili & ungues, quorum omnium ſubſtantiam ſine moleſtiæ ſenſu & ſecari & auferri patimur; & quæ ſenſu præditæ ſunt, vel membrana inveſtiuntur, vel fibris membranaceis interſperſis gaudent. Idque ea lege, ut, quibus membrana demi poteſt, illis eadem opera & hæc & ſenſus perit, quod de perioſtio manifeſtum eſt, quo ablato, oſſa exquiſitisſimum quem habebant ſenſum, prorſus amittunt. Fibras autem membranaceas, non membranam ſolam nominavi ob carnem, quam ſenſu maxime notabili pollere in vulneribus diſcimus, in quibus ſpecillum altius adactû ſæpe lipothymiam parit: Hinc etiam carni nunquam, (niſi ſtupore p. n. afficiatur) ſenſus aufertur. Ex quibus omnibus facile videre eſt, illarum ratione membranam tactus adæquatum organon esſe.

V. Proximum nunc eſt, ut de cauſa doloris cogitemus. De quo ſi antiquæ philoſophiæ oracula conſulimus, primus omnium *Plato* ſe nobis offert, qui *in Timæo*, *violentam paſſionem quæ præter naturam ſit*, *& ſimul multa ac celeriter fiat*, *dolorem* ait *afferre*. *Hippocrates* vero, eo antiquior, *L. de locis in homine p. m.* 421. *l.* 23. *iis* inquit, *quibus natura alteratur*, *& corrumpitur*, *dolores fiunt*. Bene uterque, ſed nimis laxe & ample de doloris cauſa loquuntur. Longe accuratius Galenus & propius ad rem accedens, dum ſolutionem continui dolorem inducere ait variis in locis. Quam ſententiam omne poſt illum ævum amplexum eſt. Cum enim omnis dolor ſit vel internus & intra corpus ſentiatur, vel externus, & in ſuperficie, atque ille quidem plane nobis inacceſſus & latens, attamen cum hoc omni ex parte quoad ſenſum conveniat, atque ex effectu de ſua cauſa conſtet, utriusque cauſam eandem esſe, & ab hoc ad illum argumentatione recte procedi putandum eſt.

Externe autem quæ nobis dolorem afferunt, ſunt ex ſolidis acuta omnia, ſecando vel pungendo agentia; ex fluidis ignis, & acris quicunque liquor dum cutim corrodere potens eſt: tum vero quicquid percuſſione, compreſſione, tenſione vel ruptione corrumpere ſubſtantiam noſtram poteſt. Quæ ſi quis probe examinaverit, in eo uno omnia convenire deprehendet quod ſolvant continuum, vel directe, & primario, ut illa quæ primo loco recenſita ſunt, vel indirecte & per accidens, ut reliqua.

VI. De priori classe, quo certius constet, simul & quomodo illa agant, & ad quam classem pertineant, voluptatem illam quæ tactu percipitur, paulum examinabimus, ut contrarii ex contrario magis ratio elucescat. Duo ex universo illorum quæ tangimus genere sunt, quæ delectationem pariunt. Id quod molle est & blande digitis cedens, & deinde quod læve, & superficie valde æquali. Quæ duo in gradu summo constituta si conjungantur, & præterea sentiens exquisitissimum accedat, (est autem exquisitissimum quod tenerrimis ex fibris contextum est) summam voluptatem pariunt. Cujus rei si rationem inquiris, illa est, quod sensorium organon adimpletur & læve ac æquale quammaxime efficitur. Nam & molle se insinuat spatiis adhuc vacuis, & læve, cuticulæ lævitati applicatum, eo arctius cum illa coire potest. Atque inde est, quod non in objecto modo, sed & sensorio illa levitas ac teneritudo fibrarum requiritur. Hinc illa nostri pars, qua maximam omnium voluptatem percipimus, & quæ sibi ad eam unice data quibusdam dissolutioribus videtur, insigniter lævis est & maxime sibi constans, & mulierum sinus ad eam demulcendam largum humorem eumque glutinosum profundit, quo perfectius æquale reddat, implendo exiguos poros, qui restare possent. Idem vero aliæ etiam efficiunt partes quæ glabræ & humentes sunt. Quod ne aliarum nationum fœdis demonstrem amoribus & illicitis delectamentis, verecundiâ cohibeor.

VII. Ex his ita perspectis duo licet colligere. Primum quia in repletione & unione voluptatis sensio consistit, oportere ut in sejunctione & disunione consistat ratio doloris. Deinde ut læve & molle instrumentum est quod dulcedinem tactui offert & delectationem, sic asperum & durum molestiam illi inferre. Quæ si ad eum gradum pervenit ut vehementer lædat, dolor appellatur. Durum autem & asperum conjunctum & in extremo constitutum acutum efficit, de quo antea diximus, quod continuum solvat. Nam & ignis particulas acutas esse, nemo dubitat, & acris humor acredinem suam ab acutis pariter moleculis mutuatur. Asperum igitur est, & durum omne quod dolorem infert, idque fit quia asperitate particulæ sejunguntur, ut lævitate, & mollitie uniuntur magis.

VIII. Inde videre est, cur oleum & pingvia omnia dolorem mitigent, quo in genere usque adeò commendata illa chirurgis sunt, ut nullum sit ungventum, quod non ingrediantur. Quomodo vero acutum

cutum & ſalia dolorem inferant denudatis partibus, itidem patet. Quæ ſalia ſi non agant cum vehementia, ſed remiſſe,& imbecilla ſint, pruritum inducunt,qui nihil aliud eſt quam dolor imperfectus, ejusve inchoamentum. Hinc frictio ſcabioſis primum voluptati eſt,mox dolori. Nam dum ſalium acrium minimæ particulæ per inſenſilem exſpirationem dilabi & abire parant, parumper ſenſiles cutis pungunt fibras, quod moleſte ferentes, citato motu diſpellere conantur & excutere miſeri, ſed dum nimis fortiter conterunt & eorum juvant actionem quia firmius imprimunt, & ſimul ipſi nimia compreſſione teneras rumpunt fibrillas: hinc mox immanius dolor reſurgit. Eadem eſt cauſa, cur in vulneribus & ulceribus, ubi ad ſanitatem fere perducuntur, & jam cicatricem ducunt, titillationem & pruritum ſentiamus. Scilicet ſalium quod reſtat imbecille & rarum genus tum per poros in auras abit,& abeundo leviter ſtimulat fibras, quia pororum ductus cicatrice confuſi ſunt, & minus patent. De quibus in noſtræ ſententiæ favorem *Philoſophi verba* adducere libet, qui *III. de anima c. 2.* ἡδέα μὲν, ait, ὅταν ἄγεται, εἰλικρινῆ καὶ ἀμιγῆ ὄντα, εἰς τὸν λόγον· οἷον τὸ ὀξὺ, ἢ γλυκὺ, ἢ ἁλμυρὸν· ἡδέα γὰρ τότε. *Senſibilia ea, quæ ſincere talia, quæq; ſimplicia ſunt, ut acutum, vel dulce, vel ſalſum, cum reducuntur ad rationem, ſenſui ſunt jucunda.*

IX. Patet autem ex his omnibus cauſam doloris proximam & immediatam eſſe ſolutionem continui. Mediatam proximiorem, ſeu ab hac ſecundam duplicem,unam proprie talem, & per ſe,quod acutum omne appellatur, ſive id corpus ſit perfectum & oculis patens, ſive latens & minimum, ut ſalia & ignis; alteram per accidens, qualem memoravimus preſſionem, quo pertinet etiam contuſio, & tenſio, quæ omnia ſub rumpentis nomine unico comprehendi poſſunt, & quomodo agant, facile cuique patet. Utrique huic cauſæ illa conditio neceſſaria eſt, ut confertim & cum aliqua vehementia agat. Aberrant autem à ſcopo Carteſii aſſeclæ, dum dolorem percipi ſtatuunt, ubi tam vehementer moveantur corporis partes,ut lædantur. *Vide Reg. Phil. Nat. c.* 5. non enim corporis partes ſed inſtrumentum vehementer movetur, & nec id quidem ſemper ad dolorem requiritur quamvis ad ſolutionem continui omnino neceſſarium ſit. Videmus enim ſi quis gladio findat corporis partem celerrimo ictu, multominus id dolere, quam ſi ſenſim ac paulatim in

corpus id quidem adigat. Cœterum de causis doloris qui plura desiderat adeat *Galeni l. de symp. caus. c. 6. & c. 1. II. de loc. aff.* quo libro toto de doloribus agit, *& M. M. XII, 7.*

X. Ex modo dictis tandem etiam patet, qua ratione ad sensum tactus dolor pertineat. Scilicet non primario & immediate, cum non sit perceptio qualitatis tactilis, sed mediate. Non enim asperi & duri vel acuti simplex perceptio dolor est, sed ejus quod acutum in corpore efficit, ubi in id agit: scilicet solutionis continui. Solutio autem continui est effectus objecti tactus, non objectum ipsum, ideoque solutionis continui perceptio non est perceptio objecti, ergo nec simplex & proprie dicta sensatio. Adeoque *Sennertus in institutionibus dolorem non esse ipsam sensionem, sed molestiam quæ in sensu fiat à continuum solventibus* ex Galeni interpretibus recte & prudenter monuit.

Ex jam dictis definimus tandem dolorem Molestiam ex solutione continui fibrarum membranearum in tactu perceptam, sive, si mavis cum Galeno, esse tristem sensationem, quod idem est.

XI. Atque hæc sunt, quæ ex *philosophia* nobis prælibanda fuere, antequam doloris considerationem *medicam* accederemus. Nunc altera nobis quæstio solvenda est, ad quod symptomatum genus pertineat. Cum enim omnia illa quæ nobis molesta sunt & corpus afficiunt, vel morbi sint, vel causæ, vel symptomata, dolorem ad symptomata quidem pertinere facile patet, sequitur enim morbum, solutionem continui, ideoque symptoma morbi esse clarissimum est. Sed utrum ad actiones læsas, vel aliam aliquam classem reducendum sit, haud æque manifestum est. *Argenterius L. gen. & diff. sympt. c. 3.* peculiare actionum læsarum genus constituit actionem tristem & voluptuosam. *Fierra* inter accidentia qualitatum mutatarum refert, teste *Hier. Montuo Pr.* 1, 2. Ipse *Hier. Montuus* passionem appetitus eum facit, *c. l.* Alii plerique depravatam esse actionem contendunt, quorum ultimus & nunc antesignanus *clarissimus Sennertus est*, qui eorum sententiam, ut reliqua omnia præ cæteris dilucide & clare exponit *Inst. II, 3,* 1, 4. Verum quo minus his omnibus assentiamur, illa faciunt, quæ de natura doloris ex adhuc allatis patuere. Et quidem de prioribus sententiis, cum ab aliis dudum ad earum fundamenta responsum sit, nos hic nihil: ultimam tantum examinandam nobis

ſumemus, cui non magis quam cæteris ſi recte res penſitabitur, accedi poſſe, erit manifeſtum.

XII. Conſiderandum enim eſt, quid ſit actio depravata. Eſt autem illa in ſenſibus, nemine diffidente, in qua objectum non percipitur quale eſt, ſed falſa ſub ſpecie. Ut v. g. in oculo, ſi omnia flava appareant ictericis, vel pertuſa objecta videantur quæ integra ſunt: Guſtus depravatus eſſe judicatur, ſi amara videantur omnia quæ offeruntur, ut aliquando in febribus: & ſic in cæteris. Quod ſi in dolore an tale quid fiat, quærimus, plane illud non ita eſſe, fatendum eſt, nihil enim in ſenſorio percipitur quod in objecto non ſit. Et quemadmodum frigidum percipitur quod frigidum eſt, ſic etiam acutum, vel tenſivum vel comprimens percipi tale, quale omnino eſt, etiam illi non negant qui contrariam defendunt ſententiam.

Quod quidem cum acutisſimus vir ingenii Sennertus agnoſceret, non ita planum eſſe quomodo ſit actio depravata, fatetur. Idque ut oſtenderet, duo requiri ad ſenſus actionem recte obeundam ait, ut organon recte ſe habeat, & ut objectum: hic vero objectum naturalis ſenſus limites excedere, & ut nimium excellens, organon corrumpere, atque ita ſenſum eſſe depravatum. Reſpexit ſcilicet ad Ariſtotelis axioma quod variis in locis inculcat, ſenſibilia ſi inſtrumentorum vires ſeu capacitaem excedant corrumpere ſenſus, ut viſus nimia luce corrumpitur, auditus ſono vehementiſſimo.

XIII. Verum ad hæc varia reſponderi poſſunt. Primo enim Ariſtotelis axioma male intelligitur, ipſi enim corrumpere ſenſorium, eſt deſtruere atque ita quidem deſtruere, ut omnimoda ſenſus ablatio fiat, non depravatio. Ubi enim ſenſibile excellit capacitatem inſtrumenti nimium id replendo & cum ſumma vehementia, ita corrumpit, ut ab illo momento inutile ſit animali. Id ex omnibus vulgo notis exemplis patet: à nimio enim ſplendore cœcitas inducitur, à ſono nimium vehementi ſurditas, & tabaci nimius per nares uſus, (quamvis is proprie objectum odoris non ſit,) odorem plane tollit. Et hic quidem ablationem ſenſus, non depravationem eſſe, nemo non videt. Nam ſplendor ſolis non percipitur ſub alia ſpecie, niſi quod noctem obſcuram ac tenebras ſecum afferat: & ſonus graviſſimus, qui organon corrumpit, id eſt ſurditatem inducit, non ſub ſpecie a-

 cuti

cuti percipitur. At alia omnia in dolore accidunt. Quamvis enim corrumpatur objectum aliquo modo, non tamen aboletur sensus, sed etiam post divisionem sentiunt fibræ, & quidem ut sentire debent, non corrupte, quod in magnis vulneribus videre est: Nec stupor perpetuus postea inducitur, sed quamprimum cessat dolor, objecta ut antea sentit, etiam grata. Ut taceam, in dolore continui solutionem sæpius non tam perfici quam inchoari & intendi, quæ res movit *eruditissimum nostrum VVedelium*, ut *in theorematibus suis*, libro qui parva mole longissimæ artis præcipua si non omnia comprehendit præcepta, 1,4,22. *solutionem continui nihil aliud*, ajat, *esse, quam partium membranosarum tensionem & vellicationem.*

XIV. Deinde, quomodo persuadebit Sennertus, organon ultra sensus capacitatem excellere, &, quæ sunt ejus verba *limites & formam naturalis sensus excedere*, cum plane naturale sit sensui, tam acuta quam obtusa sentire, tam molesta, quam grata? Imo tactus nobis ob id magis quam aliud datus est, scil. ut sentiamus talibus substantiam nostram destrui, atque quantum licet, summa cura atque industria ea fugiamus. Nec magis dolor seu acutorum effectûs perceptio tactui naturalis est, quam naribus obscœnus odor, aut auditui ejulatus molestia, quam tamen nemo dicit naturalis sensus limites excedere. Sed ut plane constet de veritate hujus rei, & istam excellentiam objecti in dolore non esse accusandam, certissime evincam, id omnibus considerandum propono: Ad tale objectum requiri, ut intendi & remitti possit, ac ubi excellentia ista sensum corrumpere debet, in summo gradu sit constitutum. At acutiem, vel quicquid tandem inducit dolorem, in summo gradu semper esse constitutum quis dicet, cum dolor ipse recipiat gradus, & vel intensior sit vel remissior? Aut ergo etiam in remissiore gradu constitutum objectum organon corrumpet, aut aliquis dolor non erit actio depravata, quia aliquis dolor remissior est, & sic necessario etiam causa.

XV. Hæc itaque animadvertens doctissimus *Bruno* in *dogmat. med. gen.* ad auctam tactus actionem quam depravatam dolorem referre maluit. A quo tamen iterum recedere sit nobis venia. Id enim esse sensus actionem acutam existimamus, ubi plus sentit, quam sentire debet, sentit autem, qui etiam absente objecto idem ut præsens percipit: quod in dolore non fieri persuasus sum.

XVI. Ut hæc tandem concludamus, malumus cum Galeno statuere

tuere esse dolorem tactus symptoma peculiare (nec enim video cur illa verba vel non audienda sint, vel in alium sensum trahenda,) quod sub nullo reliquorum symptomatum genere contineatur, quam ad aliquam eorum speciem minus congrue eum referre. Non enim res scientiarum systematibus, sed systemata rebus accommodari æquum est, quia hæc ad illarum in addiscendo facilitatem non illæ ad horum ornamentum & lusus ingenii vel elegantiæ gratia conditæ sunt. Quare si quid in illis est, quod divisionum elegantiæ obstat, ob id veritatem inficias ire & illas ad sua genera ubi non sponte eant, vi compellere nefas puto, nec id ingenuarum disciplinarũ libertatem, sed tyrannidem sapere. Cœterum non inter tactus modo symptomata, sed inter omnia fortassis dolor peculiare est, & rarum. Cum enim reliqua omnia suos morbos insequantur, hoc etiam ante quam morbus constitutus, & dum in fieri est, viget & vexat ægros; cessat, ubi morbus perfecte constitutus est. Quæ res uti consideratione digna est, ita facile cordatioribus nostrum à communi & receptâ sententia dissensum excusabit.

Sed de dolore in genere abunde dictum, deinceps capitis dolor propius inspiciendus, & quomodo in nobis fiat, aperiendum est.

## Cap. II.

## De dolore capitis in specie, ejusque causis.

Capitis dolor definitur. Ejus subjectum non solas membranaceas partes esse, ratione, & experientia confirmatur. Externæ partes utplurimum solæ læduntur. Causæ. Sanguis distendens. Is quibus modis exagitetur. Obstructio à crassis chyli particulis. Putridi halitus. Serum copia peccans distendit partes. Pituita. Idem serum acredine peccans, salsum acidum. Qua occasione hæc peccent. Aliæ causæ. Cur caput præ cœteris partibus dolori obnoxium.

I.

Cognito dolore in genere, ad capitis dolorem definiendum nihil videtur superesse. Est enim molestiæ perceptio ex solutione continui fibrarum membranearum in capite. Cæterum hæc nondum ad ejus perfectam cognitionem sufficiunt, sed declarandum ulterius est, quæ istæ sint capitis membranaceæ partes, & qualis causa sit illas lacessans.

II. Ad

II. Ad primum quod attinet, plerique hodie medicorum in eam abierunt sententiam, eas meningibus ac pericranio unicè absolvi cum tamen nulla planè ratio sit, cur vel panniculum carnosum, cuti hic ferè immediate substratum vel musculorum quantum ibi reperitur, excludamus, cum vel ipso externo tactu pateat, illa omnia exquisitissimo sensu prædita esse musculusque temporalis præ cœteris adeo bene sentiat, ut vel levi compressione nimium quantum dolere deprehendatur: Quod profectò non à pericranio substrato est, quod per totum caput excurrit, sed musculo ipsi, membranis & fibris plurimum instructo adscribendum. Et hanc quidem sententiam his adjumentis stabilimus, quod posita causâ quicquid est aptum alicui actioni aut passioni recipiendæ, nullo prohibente eam certo ac indubitate recipit. Neminem verò dubitare credo, & omnes partes externas capitis esse membranaceis fibris instructissimas, Quid enim partium mollium in corpore sine fibra est? & causam doloris in sanguine esse, quod paulo post fusius demonstrabitur. At sanguis ad partes carnosas etiam copiosior præ membranosis allabitur.

Nec deest nobis experientia qua sententiam confirmemus. Ut enim de ligaturis nihil dicam, quod de his dubium possit moveri, istos dolores qui in venereo morbo caput infestant, in his partibus contineri, ulcuscula loqvuntur, quæ post eum ex cute undique erumpunt. Dolor enim ille haud dubie fiebat, quamdiu collectio humoris & solutio continui ad eruptionem perficiebatur, & quis dicat illorũ materiam in meningibus solis vel pericranio hæsisse? *Vid. Plateri obs. L.* II. ubi cum crustis in capite & alvi constipatione junctam cephalæam proponit. Nec hic solum, sed in aliis etiam affectibus materiam doloris sub cute esse observatur. Virginem in Gallia novimus quæ hemicrania menstrua gravissimè affligebatur, cujus caput sæpius manibus contrectavimus, adeo humoribus sub cute turgens, ut molle & elatum, digitorum impressionem admitteret, certo argumento, ibi solutionem continui longo temporis spatio manifestissimam factam esse talem, ut humoris contineret aliquam copiam. *Simile quid refert Carolus Piso, L. de prætervisis hactenus affectibus ex serosa colluvie Sect.* II. *parte* I. *cap.* I. *obs.* 2.

Nec soli nos, aut primi id statuimus: ipse etiam *Galenus* inculcavit, quem ut principem suæ artis multi non venerantur, sed stupent.

Is

Is enim expresſis verbis *III. de loc. aff. c. 8. Aliquibus ait, omnes capitis partes aptas eſſe ut afficiantur.* Quod ſi omnes, ergo non ſolæ meninges & pericranium. Unde mirari ſubit, qui factum ſit, quod inter tot falſas & inanes quas avidiſſime tanquam ex tripode dictas arripuere, veriſſimam hanc ſententiam, & quæ tanti momenti eſt, neglexerint.

III. Ego verò illis nondum ſubſiſtens, ulterius progredi audeo & affirmare, non aliquando tantum, ſed ſæpiſſime externas capitis partes & ſubcutaneas affici, raro, vel nunquam ſolas meninges aut pericranium. Cum enim duplex ſit cauſa doloris capitis, interna & externa, de hac quidem dubium nullum reſtat: Quis enim in illo qui à ſolis radiis vel frigore inducitur dolore has particulas per externas partes deſcendere illæſas ad meninges putet illis omnibus intactis? quis non potius credat, externas tantùm affici, nequaquam meninges; In interna autem cum nulla ſit via per quam ad ſubjectum cauſa pertingat præter vaſa, quis neget plus ſanguinis ad carneas partes, quam reliquas pertinere? Id enim perpetua lege in corpore obſervatur, quod pauciorem membranæ recipiant, quæ res effecit, ut pro ſpermaticis partibus à nonnullis haberentur. Inde etiam fit, quod caro in ſua ſubſtantia ſanguine turgeat ubique, membranæ non niſi in vaſis ſanguinem oſtendant, & præ ejus inopia totæ albicent. Idem perſuadet pulſus citatior qui in externis partibus nunquam non etiam obſervatur, præcipue poſt crapulam, ubi ſentimus manifeſtè cum ſingulo pulſu novum quaſi dolorem per Tempora pelli. Et his quidem commotus non alibi quam ubi ex arteriis ſanguis exivit, atque per interſtitium illud quod ab his ad capillares venas eſt, decurrit, dolorem capitis ab eo nobis induci exiſtimo: nihil enim in vaſis affligit, ſed poſtquam ex iis in partes nutriendas cruor affuſus eſt. Credo etiam in cephalalgia, leviore malo externas ſi non ſolas, magis tamen affici, meninges & pericranium maxime in cephalæa: Idque ideò, quia fibras per carnem diſperſas cum omnino membraneæ ſint, & illi ſenſum largiantur, ut ſimplices & diſſitas, etiam à leviore cauſa affici aptas puto, membraneas vero implicatas varie & ſibi firmiore nexu cohærentes non niſi vehementiori cedere inſtrumenti vi credibile eſt. His omnibus patrocinium non leve exinde accedit, quod ſynciput & latera ut


plu-

plurimum, occiput raro dolet, Quod ob arteriarum copiam, maximam partem eo abeuntium accidere, jam tum *Galenus* monuit *de Morb. vulg. comm. l. t.* 4.

IV. Vidimus de subjecto: nunc ad causas animus applicandus est. Et de immediata quidem cum neque ad curationem quicquam faciat, & jam antea de ea dictum sit, non amplius erimus solliciti, sed statim ad mediatas proximiores transibimus, eas scilicet quæ solvunt continuum: quas duplices fecimus, propriam unam, acutorum in fibras actionem, improprie alteram & per accidens talem, ruptionem, eamque iterum compressione & distensione peragi monuimus. Quarum illam quidem statim eliminare convenit, ubicunque enim compressione dolor excitatur, vel externa causa incumbens, vel si interna, cum fractura cranii conjuncta est, de qua hic agere non est animus.

V. Ad distensionem potius accedimus, causam quæ dolorem capitis omnium frequentissime inducit. Quotiescunque enim vasa nimium repleta sunt, quod nonnunquam à sanguinis copia, ut plurimum tamen elatione & turgescentia accidit, aut crudioribus, id est crassis & non satis subactis particulis abundat hic vitalis humor, accidit ut circa vasa capillaria hæreat & in illas subire omnis non possit, atque ita in interstitiis illis quæ inter arterias & venas capillares emetienda sunt illi, sensim colligatur dumve cordis & arteriarum pulsu novus semper succedit, adeo tandem implet ista angustissima spatia, ut primum distendat, mox etiam ubi crescit ad extremum malum, rumpat fibrillas.

VI. Fit autem, ut diximus, vel 1. ob nimiam sanguinis copiam, quod plethoram appellant, atque id utplurimum ubi consuetæ evacuationes intermissæ sunt, ut hæmorrhoidales, uterinæ aut aliæ, vel 2. ob turgescentiam ejus & elationem, quam effervescentiam vocare clarissimus Sylvius assolet, & ut doctissimus nuper Ethmüllerus in præclaro de respiratione opere monuit, aëris per pulmones admissi elateri adscribenda est, non tertio elemento, seu subtili materiæ Cartesianorum, quam inane commentum esse ab illis, ne vacuum admitterent, effictum, nemo non admittet, qui sine præoccupatione mentis rem satis perpendat diligenter. Iste enim elater, seu quod idem est, virtus, seu aptitudo qua in infinitum pene aer à quovis accedente calore, panditur, simul etiam

ex-

expandit sanguinem cui admistus est, ita ut turgeat ac distendat vasa. Et cum variæ sint caloris causæ, hinc etiam illius turgescentiæ variæ sunt. Fitque vel (1) ab aere externo calore solis jam tum rarefacto, qui postquam pulmones & sanguinem subiit, rarefactionem suam isti communicat, quod æstivis mensibus summo calore æstuantibus accidit: quibus etiam fit, ut radiorum solis igneæ particulæ caput apertum & illis expositum per poros subeant, & sanguinem suo calore excitent. Vel (2) ab alcalinis spirituosis, & si placet sulphureis particulis si eæ externe assumantur ut in nimio vini generosioris potu, vel ejus spiritus, vel aromatum & inde confectorum usu nimio, vel (3) motu sanguinis concitatiore, ab externo cordis pulsu ipsi impresso, cujus vehementia à spirituũ animalium copia seu conditione, cor in furorẽ agente haud dubie omnis accersenda est. Hinc videmus ab omnibus illis pulsum & motum sanguinis, & sic tandem etiam calorem ac turgescentiam augeri qvibus spiritus exagitantur: ut motu corporis, vigiliis, animi affectibus, aut iis quæ materiam impuriorem suppeditant cerebro ad spiritus animales constituendos, quod fit ubi salia non rite in corpore separantur. Et hinc est quod aliquando delirium capitis dolori conjunctum est, urinâ pallida, ut in phrenitide existente, cujus rei testimonia *Gabelchoferus* suppeditat *Obs. I, 49. & III, 79.* & Jachinus etiam insigne exemplum notavit nobilis juvenis quod à *Foresto* narratur *Obs. IX, 15. Schol.* Dehinc etiam febricitantibus dolor capitis familiaris est, ubi à cordis pulsu sanguis maxime rarefit, quo trahenda sunt *divini Hippocratis* verba quæ reperiuntur *L. de flat. edit. Foes. p. 298. l. 81.* Πόνον δὲ τῆς κεφαλῆς ἅμα τῷ πυρετῷ γένονται, διὰ τόδε· στενοχωρίη τῇσι διεξόδεσιν ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ αἵματος γίνεται· πεπλήρωνται γὰρ ἠέρος· πληθεῖσαι δὲ καὶ πρησθεῖσαι τὸν πόνον ἐμποιέουσι ἐν τῇ κεφαλῇ· βία γὰρ τὸ αἷμα βιαζόμενον, διὰ στενῆς ὁδοῦ θερμὸν ἐὸν οὐ δύναται, περαιοῦσθαι ταχέως· πολλὰ γὰρ ἐμποδὼν ἔστιν αὐτῷ κωλύματα καὶ ἐμφράγματα· διὸ δὴ καὶ οἱ σφυγμοὶ γίνονται ἀμφὶ τοὺς κροτάφους. *Capitis autem dolores una cum febre hanc ob causam oriuntur, sanguinis in capite viis angustia contingit, cum aere replentur, eæque repletæ ac distentæ capiti dolorem afferunt. Sangvis enim vi pulsus cum calidus existat, per angustam viam transire celeriter nequit, quod eum multa remorantur quæ impediunt & obstruunt. Eamque sane ob causam pulsationes, circa tempora existunt.* Quæ verba talia pro-

 fecto

fecto sunt, ut non primo illo tempore quo in cunis medicina cum ignorantiarum tenebris luctata est, sed his nostris temporibus quibus ad ultimam perfectionem quotidie enititur, dicta esse videri queant. Ultimum tandem quod calorem in sangvine producit, est (4) motus ejus intestinus seu fermentatio, à fermentativis particulis corpori vel inhærentibus vel illatis. Cujus rei quoad prius documento sunt dolores illi qui elegantiori sexui eo adveniunt tempore quo Dianæ tributum solvunt castitatis, quo instante, langvent miseræ & caput fascia circumvolventes, obvelatam gestant illam frontem, ex cujus serenitate amantium salus ac vita pendere dicitur. Semen etiam aut quidvis tandem aliud in corpore moram trahens intempestive, si suis fermentativis peregrinisve ut ita dicam particulis sangvinem exagitat, huc suum ἀπὸ βάλλον μέρος conferre potest. *Vide Foresti Obs. IX, 29. in Schol.* Quod ad posterius, illatas scilicet in corpus fermentantes particulas, si non fallunt annales medicorum, epidemium dolorem capitis aliquando fuisse memorantes, is nullam præter hanc causam agnoscere potest.

VII. Et hæc de sangvinis elatione seu turgescentia dicta sunto. Tertia distensionis à sangvine causa superest, crassæ & non satis comminutæ particulæ. Et hic ventriculus ut plurimum accusandus venit, qui dum ex se vel debile & imbecille fermentum possidens, vel paucum nimis, non bene satis subigit & dissolvit ciborum substantiam; unde dum crassior chylus venas lacteas subit, & postea cor ac sangvinem, non adeo facile in minimas partes conteritur, & sic hæret in angustioribus viis, sangvinive transitum intercludit, quod etiam ab errore externo accidere potest, ut iterum in crapula manifestũ est, ubi stomachus nimium repletus, tantæ moli vincendæ par esse non potest, & cum præterea semper novus ingurgitatur liquor, priorem satis crudum & sine venia transmittere cogitur, ut sit quo condat insequentem. Eadem ratio est, cur lentium & reliquorum leguminum esus dolorem capitis inducat.

VIII. Putridæ etiam & sacras vitæ lymphas inquinantes particulæ per easdem lacteas vias admissæ placidam supremi rectoris quietem perturbant, ubi vel à vermium putrescente materia (exemplum habet iterum *Forestus IX, 27.*) bile deficiente, vel fecibus nimium retentis exhalant, ac retro in chylum adiguntur, sive istæ iterum sanguinem exagitent, sive comminui ad naturæ leges & subigi recusent,

quod

quod adhuc mihi dubium esse fateor. Sed de sanguine satis dictum est, deinceps ad alterum causarum genus progrediendum, serum scilicet peccans. Nec enim solus ille nobis hoc malum minatur.

*Vidimus flavum laticem retortis*
*Mentis ad sedem violenter undis*
*Ire dejectum monumenta regis*
*Templaque vasta*
*Sapientiæ.*

IX. Serum in capitis dolore quam sæpissime causæ mereri nomen, variis argumentis certissimis evincitur. primum, quod sæpe à defluxionibus & catarrhis originem ducit, de quo medicorum libri nulli non loquuntur, ex quibus vide *Gabelchof. I, 35. & III, 28. Gregor. Horst. II, Obs. 4. & alios*: quin in omni gravedine dolor aliquis capitis conjunctus est, qui, ubi serum illud per nares expurgatum est, illico cessare solet, & hinc caput levius factum nostrates dicunt. Deinde, quia ventriculum in consensum trahit, ita ut in vomitum solvatur, quod in Hemicrania frequenter accidit. Sic *Carolus Piso de morbis prætervisis à serosa colluvie ortis sect. II, part. II, c.* 1. de seipso refert, se nondum ephebum, capitis dolore per annos 14. periodice circa omnes fere temporum mutationes recurrente & anticum caput, frontemque graviter premente aliquot per horas, fuisse correptum, nec nisi succedente copioso aquæ lentæ & bile aliquando affusæ vomitu ac sopore fuisse solutum, quod plane eodem modo de illa virgine evenisse vidi, cujus ante memini, nisi quod sopor illi nullus sed potius vigiliæ & labores essent. Hoc autem quid aliud loquitur quam nervos affectos fuisse, qvum vomitus vix nisi ab illis hic potuisset excitari: illos autem non affici nisi acriore sero corpus scateat, norunt omnes quos ab hodiernorum profecisse juvat diligentia. Quin si quis de eo dubitet, citatum modo caput perlegere non gravetur, & reperiet porro, sæpius in convulsiones & ipsam epilepsiam finiisse dolorem capitis graviorem. Rursus aliud argumentum est, quod sudore levatur, qui non nisi serum è corpore exturbat. Tandem ipsi sæpe tactui & sensibus iste humor serosus se sistit. Quale quid non mihi solum, ut supra dictum est, sed idem etiam *Pisoni* contigit experiri, qui *c. l. part. I, c. 1. obs. 2.* de Basilicis hortis villæ præfecto refert, gravi capitis dolore per annum eum laborasse, qui tactu exacerbabatur, & sub noctem ingravescebat,

 (etiam

(etiam hoc dolori à serosâ materia proprium esse, *Amplissimus noster VVedelius* dudum notavit) & pertinacem inducebat insomniam. *Cui cum ego*, pergit, *caput contrectassem & stagnantem sub cute humorem deprehendissem, actutum postico occipite cauterium inuri jussi. Dictum factum aqua virore quodam insigni & bili prassinæ finitima ubertim per plures dies dimanante, acerbam ille inquietamque vitam jucundissima statim quiete commutavit.* Quibus exemplis quid dilucidius expectari potest?

X. Itaque serum jure accusari certum, quot vero & quibus potissimum modis efficiat dolorem, non ita facile dictu est, cum plurima adhuc circa seri naturam & officia, & ipsas denique vias, tenerrimas & ferè oculos fugientes mortalium, incerta sint. Plurima tamen etiam sagacitate & conjectura assequi possumus: idque primum scimus duplici vase contineri serum. Vel enim cum sangvine mistum per arterias & venas progreditur, vel separatum lymphæ sub nomine per glandulas ac lymphatica labitur vasa, ac tandem in commune chyli ac seri receptaculum effusum per thoracem tendit ad cor & sangvini miscetur. Hinc unum idemque esse vix dubitandum est, nisi quod illud quod à circumferentia fertur ad centrum purius minusque salibus sit fortasse refertum, ubi in statu naturali permanet. A quo vero ubi recesserit, acrior eadem & mordax existit, quod variis doloribus & ulceribus potissimum ac sudoribus quos corrosivos etiam *VVillisius* vidit, manifestum fit. Quæ omnia si cum illis conferuntur quæ modo dicta sunt, dupliciter serum peccare posse credibile fit, primum ubi à cœteris humoribus separatum, & in interstitia subcutanea vel alia effusum, mentis palatium circum obsidet. Quod factum est in illis quorum modo adduximus in testimonium graves affectus, in quibus dum sibi locum & spatium fabricavit quo contineatur, haud dubie rupit fibrillas non secus ac sangvis, & quidem rupit revera, è quo gravior fuit offensio. Hoc quoties accidit diuturnus & recurrens oritur dolor, vasa enim lymphatica tenerrima dum sunt, facile quidem rumpuntur, nec tamen facile resorbent & abducunt quod semel elapsum est, sed potius augent quotidie, dum vas ruptum novum subinde humorem affundit, ut in ascite patet hydrope, ubi venter cotidie magis magisque intumescit: Ita ut, nisi per transpirationem cutis quædam pars in aerem abiret, & capitis integumenta difficilius extendi paterentur, idem in supremo quod in infimo ventre fortasse accideret. XI.

XI. Accidit autem aliquando ut lympha, præsertim illa quæ è vasis est lymphaticis, in pituitam crassam coaguletur. Hinc videmus toties de cephalalgia ex pituita loqui etiam accuratiores, in quibus eminet *Tulpii historia Obs.I,32.* Ubi de affine C. Barlæi summi nostri seculi cum oratoris tum poetæ, cui instar glutinis densa penes capillorum radices post cephalæam inveteratam prodiit, & in porriginem tandem cessavit, atque hic primus modus est, quo serum dolorem capitis efficit.

XII. Nec tamen putandum est, minus acredine salium quam ipsa substantia peccare, quæ profecto illa instrumenta acuta sunt, quæ propria vi ac naturæ suæ necessitate solutionem continui efficiunt. Ex acutis enim particulis talia constare, tot experimentis ab hodiernis philosophiæ emendatoribus ostensum est, ut nulla vel pauca hic desiderari queant. Ratio vero docet, quicquid acutum est, ubi in partes seipso molliores adigitur, continuum solvere in carnis vero & membranarum fibras illa adigi, nemo illorum dubitabit qui cordis pulsu sanguinem, serumve per totum corpus maxima vi propelli non ignorat.

XIII. Sunt autem duo salium genera quæ illud exequi possunt: salsum lixivum, & acidum. Utrumque testantur corrosiva, quorum nullum est, quod non uno horum excedat. Et de lixivo quidem quod in sero sit, nemo dubitat, cum id per urinam quotidie cum illo excerni videamus, ac gustu in sanguine experiamur semper salsum ibi prædominari. De acido vero dubium alicui videri possit, an illud solum, & à reliquis salibus separatum accusari hic jure possit. Verum id omnino suas sibi vendicare partes, vina crudiora & insigniter acida illos docent qui iis nimium utuntur. Quale utplurimum est, quod è collibus huic oppido imminentibus quotannis colligitur. Quod nisi annorum aliquot decursu maturatum sit, immani satis capitis dolore nimium sui avidos altero mane solet castigare. Nec contradicit *Galenus* quando *XII. M. M. c. 6.* scriptum reliquit, vinum austerum omnium minime caput tentare, scripsit enim Galenus in Italia, quæ tum Græco utitur vino, tum proprio, quorum illud ad Hispanici indolem proxime accedit, hoc non quidem tantum, attamen supra modum etiam dulce est. Calore enim solis & cœli benignitate adeo ad summam maturitatem unius anni spatio vina ista perveniunt, ut

etiam

etiam difficile ſit ea ad tertium annum incorrupta conſervare; quod longe ſit aliter in Germania, ubi quo vinum vetuſtius, eo gratius eſt. Quod enim ſol non poteſt, id inteſtinus motus & ♀i fæcumque ⊖ volatile tandem efficit. Igitur quod aciditate noſtrum & remisſione, id illa alcalicis particulis & vehementia peccant, quibus maxime ſanguinem evehunt; auſterum autem quod ibi vinum appellatur, non tantum habere in ſe acidi quantum noſtratium omnium dulciſſimum, norunt illi qui Romæ aliquandiu vitam traxere. Ideoque vere Galenus de iſtarum regionum vinis dixit auſtera omninm minime caput tentare. Nec obſtat hoc quo minus nos de his noſtris asſeramus auſterum vinum omnium capiti esſe infenſisſimum. Sed ne ullum de acido dubium relinquatur, unico experimento efficere posſe videor, eoque iterum proprio & inſigni: Cum enim in primo adoleſcentiæ flore conſtitutus eſſem, è ſociis & familiaribus unus ſcabie fœdisſima, (ut illi ætati facile accidit) pariter ac pertinacisſima excruciabatur, Is celeberrimum, tum vivum, Rolfincium de illa compeſcenda conſuluit. Ille vero cum ad violentiora remedia ex trita curationis via tranſire diſſuaderet, vulgaribus vero remediis haud obtemperaret morbus, ejus fœditatem pertæſus ille ad Pedemontanum Alexium, eo inſcio, confugit, & quem ille præſcribit, ☿♎m in ▽ roſ. plantag. &c. leniter ebullit, inde iſta aqua magnam corporis partem illinit, quo remedio intra triduum ſanum fore liber promiſerat. Factum eſt, ſed ita ut non factum ſatius fuisſet, non enim inſignis modo partium, quas liquor tetigerat, inflammatio ſecuta eſt, ſed & tanta cephalæa correptus fuit, ut caput ſupra pulvinar non citius elevaret quam vertigine ac deliquio animi corriperetur, & epilepſiam inſtare, cognati omnes pertimeſcerent. Cujus rei cauſam esſe puto quod ſero conjunctus ☿♎i acidiſſimus ♒ in capite ſubſtiterat ob anguſtiam viarum, nec furere deſinebat, donec ſangvinis creberrima circulatione attritus aculeum amiſerat, & pingvibus & alcalinis particulis obvolutus, ex ſede fixiſſima abductus, ac tandem è corpore fuisſet exturbatus. Hoc de cauſa immediata etiam altera ſolutionis continui. Dehinc quid tam inſigni cauſæ occaſionem ſubminiſtret diſpiciendum.

XIV. Et de ſero quidem in ſe & quatenus ipſa quantitate peccat plurima dici poſſunt. Primum enim non eſt dubium quin ejus ali-

aliquid subter cutim perpetuo reperiatur, ut illa vel propriis contractionibus, quas fieri videmus in illis locis ubi panniculus carnosus immediate substratus ei est, vel iis, quæ in variis corporis inflexionibus fiunt, aptior sit. Ideo etiam in dissectione corporum, ubi cutim separamus, semper levem aliquam reperimus humiditatem, quæ tamen, ut summe volatilis est, statim evanescit, & glutinosam esse inde patet, quod ubique se firmiter ligno, digitis & etiam ferro jungat. Igitur ubi copia excedit, vel à glandulis subcutaneis vel constringente nimis frigore, cui caput magis reliquis corporis partibus expositum est, vel alia occasione exprimitur, stagnat, & molestiam creare potest. Deinde ipsa etiam vasa lymphatica fortasse, ut tenera admodum sunt, aliquando rumpuntur, sive id fiat iterum nimiâ copia distendente delicatissimam membranam, sive obstructis viis, sive acredine humoris & erosione, sive externa injuria, uti videmus in illis, qui fustibus aliquando egregie excepti sunt, aut casu ab alto afflixere caput, aut impegerunt facto impetu, quibus assidue quavis temporum mutatione dolores recurrunt.

XV. De salibus autem acredine auctis plura etiam occurrunt monenda. Aerem hîc principatum tenere non est dubium, excessus scilicet caloris, frigoris & venti in hanc humani generis perniciem quasi conspirarunt, hinc etiam illa apud *Plautum*, *Trucul.* conqueritur:

*Nam mihi de vento miseræ condoluit caput.*

Tum & cœli turbatio & pluviosa tempestas, & ipsa etiam epidemica causa, de qua paulo ante diximus, notanda sunt. Lunæ secundum phases suas influxus sæpissime hemicraniam movet, & dici non potest, quantum in morbos ex sero subortos, & quam latum dominium cœlum & tempestates exerceant. Sed de his fortasse alias. Nunc de calore primum, qui insolatione inducitur, illud monemus, non modo illo modo de quo antea, sed & alio solis radios agere, serum exprimendo è suis receptaculis, testari exempla diuturnioris inde afflictionis. *Caroli Pisonis* rursus meminisse juvat, qui seipsum ex meridiano sole hemicraniam plurium dierum passum esse, *c. l. Obs.* 12. affirmat, manifestum enim est, illam à sangvine non fuisse, quia tam pertinax, aliquot dierum. Quod si quis, quomodo serum calore afficiatur, ex me quærat, difficile explicatu id esse fateor, fortasse tamen eodem modo hic agunt radii solares, quo vesicatoria agere

vir de re medica omnium benemeritiſſimus, *VVilliſius* demonſtravit *Pharm. Rat. 2. parte*, lympham ſcilicet è vaſis & glandulis ſubcutaneis eliciendo, nam & veſicatoria calore id faciunt & acredine. Eodem modo forſan & frigus agit, vel ubi levius ex eo oritur malum, ut plerumque, (ſolvitur enim fere ubi ad ignem accedimus,) ſola pororum conſtrictione, ita ut ſangvini tranſitus denegetur, conſtringi enim à frigore poros, nemo facile negaverit. Ulterius in hac controverſia progredi non audeo, cum, quid ſit frigus, nondum ſatis conſtet. Quod dum *immortalis Boyleus* poſt conſcriptum de frigore integrum volumen fateri non erubeſcit, poſt tantum virum minime id mihi damno fore exiſtimo. De vento etiam nihil hîc, niſi quod vel frigoris, vel aquæ, vel caloris aliquid in caput fortius impellendo agere credibile ſit. Cæterum de ventis celebres ſunt *Hippocratis aphoriſmi III, 13. & 17. quos videſis.*

XVI. Alterum ſibi locum vendicare videtur effluviorum & inſenſilis tranſpirationis impeditio, quam aer quidem rurſus, non tamen ſolus inducit, plurimum enim hîc naturalis diſpoſitio & conſuetudo valent. Hinc legimus agud *Herodotum* Ægyptiorum capita duriſſima, & contra omnes externas injurias munita fuiſſe, quod ſtatim à pueris radere capita & ad ſolem indurare conſueverint. Et hæc non de calvaria ſolum, ſed & communibus integumentis intelligenda eſſe, inde colligitur, quod rara Ægyptiis (eodem teſte) calvities erat, quam tamen ab illo esſe quod aer à poris coerceatur, novimus hodierni delicatuli, & elegantiæ potius quam ſanitatis ſtudioſi, qui ſub factitiis iſtis capillamentis in ipſa calveſcimus juventute. Atque hinc etiam esſe exiſtimo, quod noſtrates mulieres capitis doloribus magis quam viri obnoxiæ ſint, quod tum proprio ſemper capillitio arctiſſime caput conſtringunt, teguntque, tum variis velamentis & integumentis accuratius muniunt, quam è re esſet. Inde etiam patet, quam ſint in filios injurii parentes, qui, ne damnum capiant, ſemper capite operto incedere jubent, quod nihil eſt aliud, quam ſimiarum more præ nimio amore illos occidere. Eo enim fit, ut aeri inasſueti vel leviſſimis poſtea ejus injuriis lædantur.

XVII. Vigiliæ & inediæ quo pacto acredinem ſalium augeant, dum ſerum abſumunt, ſalia relinqvunt, notum eſt. Pariter meditatio nimia dolorem capitis infert, acuendo ſalia. Dum enim ſpiritus abſumuntur, aceſcunt reliqua. Nam ſpirituoſis particulis dul-

cedinem

cedinem deberi, *Clarissimus Sylvius* demonstravit. De assumtis quoque satis constat, & de vino austero jam supra monuimus.

XVIII. Sunt præterea & alia quædam, quæ dolorem capitis inducunt, quæ ad suas classes referre non erit difficile. Ex his eminent odores, quorum etiam gratissimi, si nimis penetrantes sint, id efficiunt. Et de aromatibus quidem prostat *Hippocratis aphorismus V*, 28. Quin nonnulli adeo facili læduntur opera, ut vix rosas perferre possint, & Forestus etiam ejus meminit, qui ex ▽æ rosarum odore in dolorem capitis illico incidebat. Sed hoc peculiare est & cujus non facile causa patet, uti de fortius spirantibus dubium non est ideo id accidere, quod sangvinem efferant, è quorum genere moschus est & ambra, & reliqua mulieribus non paucis infesta. Deinde huc referri debent vapores illi, qui graviter caput lædunt, ut calcis nuper parietibus obductæ, carbonum, & reliquæ exhalationes ejus generis, quæ haud dubie id agunt vel quia sangvinis cursum impediunt, eum coagulando vel fundendo serum. Non hic commemoro somnum sub umbra juglandis, ficus, oleandri, taxi, quod à nonnullis factum video, quod meræ hæ fabellæ sint, experientiæ & rationis fulcimentis destitutæ.

XIX. Ex præternaturalibus in corpore natis plurimæ sunt causæ cephalææ, nominatim calculi, teste *Sennerto*, & vermes ibi hærentes, quod rarissimum esse puto. Imprimis autem supra fidem est, quod *Hildesheim. spicil. L. I. p.* 41. proponit. Lapsus præterea & contusio quomodo huc pertineant, supra diximus. Nec dubium est, inde esse hæc omnia, quod liber transitus humoribus denegetur. A flatibus etiam, similibus illis, qui in tympanitide fiunt, caput aliqvando dolere credibile est.

XX. Verum hîc dubium oritur non leve, cum causæ à nobis hîc relatæ in toto corpore & omnibus ejus partibus reperiri possint, subjectum etiam patiens, fibræ membraneæ ubique obviam sint, cur non ubique & in reliquis etiam membris idem dolor sentiatur? Quod certe tanti momenti est, ut ob hanc unicam rationem veteres dolorem capitis in pericranio & meningibus collocasse mihi videantur, caputve dolori subjectum magis esse crediderint, quia membranis magis abundet; causam etiam vapores fecerint è ventriculo immediate in caput ascendentes tum in crapula imprimis tum aliis etiam. Et certe res est non adeò facile enodanda, imprimis cum de ista dubi-

tatione parum aliis in mentem venerit, sed quia tantis ac tam evidentibus rationibus causæ & subjectum à nobis demonstratæ sunt, non permittendū est, ut à semel cognita veritate hâc quamvis magna difficultate amoveamur. Nec tamen ad proprietatem partium, attractionem, vel inclinationem, aut propensionem aliquam à naturâ partibus vel humoribus inspiratam, qua quidque cuivis determinetur, id est ad ignorantiæ sacrum asylum confugere, consultum puto; sed clarius ac verius rem istam explicandam, ne hîc nobis aqua hærens totum adhuc exstructum opus inutile ac inane reddat. Ita igitur existimamus: in pororū diversitate omne hujus rationis adjumentum quærendum esse, quos necessarium est in capitis externis partibus minores esse ac reliquis nostri corporis, alias sanguis & ejus partes eâdem facilitate per illos transiret, nec dolorem excitaret magis quam in manibus, vel brachio, vel pedibus, vel ventris musculis. Non tamen hæc solum asserenda; sed rationibus etiam suffulcienda nobis sunt, ne gratis ea dixisse videamur: quæ quidem paulo diligentius mentis aciem in ea intendenti non adeo difficile erit reperire ac prima specie videri posset. Nam id primum certum est, pannum musculosum hîc inter cutis extremæ & calvariæ durissima ossa atque adeo in angustiis positum tam facilè irruenti sanguini cedere non posse, ac reliquæ partes, quæ molles ac laxæ sunt. Indeque id ipsum est, quod membranæ magis, quam carnes dolori sunt obnoxiæ, ideoque unicum ejus subjectum hucusque creditæ, quia compactiores sunt, & fibræ, ut antea monuimus, arctius cohærent. Deinde id etiam tenendum est, nullam corporis partem æque motu privatam esse ac subcutanea ista capitis integumenta, omnes enim musculosæ partes reliquæ & ipsa etiam cutis ubique moventur; in capite non nisi corrugationem habent. Motus autem in illis duo præstat, maxime in hac controversia quæ considerentur digna: sanguinem enim per eorum poros prolabentem in motu valde juvant musculi, dum se laxant, illum urgent, expellunt, ac tantum non vi exprimunt, quo adjumento in capite destitutus non potest non tardiùs procedere. Deinde dum subinde extenduntur, subsident, antrorsum, retrorsum, vel ad latera cedunt trahunturve pori, exinde necessum est, ut laxiores multò & ampliores fiant; cum quicquid immotum cohæret, id arctius jungitur & concrescit compactumque redditur, contra quod movetur, ut in vulneribus & ulceribus manifestum est, quæ nunquam con-

solidan-

ſolidantur, niſi quieta pars & immota ſit. Ob has ergo rationes, & quia hæ partes arctius perpetuo à continentibus premuntur, & quia non moventur, adeoque nec poros tam apertos habent, nec ſanguinem tam facile transmittunt, evenire, quod caput potius quam reliquæ corporis partes internis doloribus ac ſanguinis injuriis expoſitū ſit, exiſtimare æquum eſt. Hinc etiam accidit, ut unus magis, alter minus ad dolorem capitis recipiendum aptus ſit, prout pori magis vel minus anguſti ſunt: quo de *Galenus*, *III. de Loc. aff. c. 9. Sunt nonnulli*, inquit, *quibus caput aptiſſimum eſt ut impleatur*, idque eſt naturalis diſpoſitio, quæ potiſſimum hîc attendi poſt temperamentum, quod ſupra nominavimus, meretur: nam ex ſuturarum defectu graviſſimos capitis dolores provenire, quod *Columbus* memoriæ prodidit, id mihi vix veriſimile videtur, & fallaciam non cauſæ ut cauſæ hîc eum commiſiſſe potius exiſtimarem. Licet enim non negaverim, prolixam ſatis eſſe exhalationem cum omnium corporis partium, tum etiam capitis, tamen per piam & duram matrem ad ſuturas tranſire talia corpora vix mihi perſuaderi patiar: obſtat præterea, quod intra cranium ſuturæ non amplius appareant, & quaſi in harmoniam degenerent, ut ipſe fatetur, atque in ſenibus illos planè obliterari monſtrat, illos tamen minùs dolore capitis infeſtari, quàm in juventute conſtitutos, experientia teſtatur. Sunt enim à dolore capitis pueri fere immunes, ob ſanguinis non adeò efferi pacatam tranquillitatem: maxime omnium juvenes & viri eo exercentur, tum quia ſanguis in illis in ſumma exaltatione ac vigore eſt, tum quod magis reliquis moventur, & maximi omnium labores huic ætati incumbunt, carnes vero magis exſiccatas, poros non ſatis patentes habent. Senes illo eximuntur, imprimis ſi moderatè vitam agunt, quia ſanguinis flore deſtituuntur, & rarius moventur.

# CAP. III.

## Differentiæ.

Differentiæ vulgares enarrantur, & rejiciuntur: nullam præter gradualem capitis dolor differentiam agnoſcit: Hemicrania ſingulare quid habet.

I.

Intricata ſatis res eſt doloris capitis in ſuas partes diſtributio, cum tot ſint genera diviſionis, ut, ſi ſingulorum rationem habeas, intellectum potius rerum obruas diverſitate quam diſtinctione ſubleves.

II. 1. Ratione generis enim vel in se, dolor est acutus, aut gravans, aut pulsans, aut tensivus, quæ bipartito distributa eleganter vide in *accuratissimis, quas academiæ hujus decus VVedelius edidit Theorematibus II, 4, 24.*

2. Ratione subjecti (1) alius internus alius externus est, (2) alius totum caput occupat, qui ovum, Galea, seu Galeata passio appellatur; alius exiguam ejus partem, qui clavus & monopagia, aliis & monopathia dicitur; alius dimidiam, qui Hemipagia, Heterocrania, & hemicrania, alius tempora & κρόταφος audit.

3. Ratione causarum (1) alius est ex morbo, ut in lue venerea, febribus, peste, alius ex symptomate ut qui ventriculi imbecillitatem ex crapula sequitur. (2) Alius ab interna causa, ut qui ex humorum & salium vitio; alius ab externa, ut solis calore, frigore, ventis, contusione, atque horum quisque iterum varius. Alius porro per idiopathiam, alius per sympathiam, ut qui ex mensium obstructione fit, quamvis *Galenus III. de loc. aff. c. 8.* in curatione omnem capitis dolorem tractandum ut idiopathicum, recte moneat.

III. Existimamus autem, hæc omnia omitti posse, atque dolorem capitis proprie non nisi gradu differre. Nam primum differentiæ genus quod attinet, facile patet id non esse essentiale, sed accidentia ibi enarrari, quæ à causis pendent, & potius signorum locum hîc obtinent per quæ causa doloris innotescat. Differentias vero causarum & subjecti inter differentias morborum enarrare, absonum esse, quilibet judicat. Una autem est continui solutio, semper sibi similis, nisi quod aliquando vehementior aliquando remissior sit, & triplici crescat gradu, quorum primus simplex, cephalalgiæ vocabulo etiam vulgo notus, alter actiones plurimas, motum imprimis non ferens, præterea constans ac diuturnus, cephalææ nomen habet, tertius extremus & plane ægrum dejiciens, Scotomocephalæa est, ubi ad eam evehitur miseriei excellentiam, ut lucem æger fugiat, consortium aversetur, & erectus animo delinquat ac vertigine corripiatur. Singularem tamen considerationem meretur Hemicrania, non modo quia dimidia tantum capitis pars affligitur, quod profecto non leve est, sed ob varia præterea & non vulgaria, quæ eam comitantur, symptomata, ut vomitus, convulsiones, & periodorum imprimis varietatem, cum aliqua menstruo revertatur spatio, alia diurno, alia semestri,

ſtri, alia quoties tempeſtatis mutatur ratio. Sed & ipſa pars affecta non eſt eadem, aliquando ſynciput patitur, aliquando alterum latus, quorum omnium cauſæ tamen conſtant, & afferri posſent hic, niſi brevitati ſtudendum esſet, vide tamen de priori *Gal, comm. VI. Epid. I, t. 3.*

# CAP. IV.
## Signa diagnoſtica.

Signa cauſarum eruuntur. Ab antecedentibus. Et conſequentibus.

I.

Signis ad cognoſcendum capitis dolorem nullis indigemus, cum magis ſenſu ſe prodat quam vellent afflicti. Nihilominus adducemus ea, quæ in hâc re ab aliis commemorata ſunt. Et ex urina cognoſci capitis dolorem futurum *divinus* nos docet *Cous Aph. IV*, 70. præſentem vero etiam *Fernelius. L. de urinis c.* 16. Et ille quidem his verbis: *ὁκόσοισι ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀνατεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίων, τούτοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισι, ἢ παρέσονται. Quibus per febres urinæ turbatæ, quales jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt vel aderit.* Hic vero: *Si bullæ parvæ & exiguæ per urinæ coronam diſpoſitæ ſunt, capitis dolor adeſt, cephalalgia quidem, ſi coronam omnem, hemicrania vero, ſi illius ſolum medietatem occupant. Acrior erit dolor, ſi aureæ ſint & citrinæ, mitior, ſi albæ & pallidæ, diuturnus vero, ſi diu permanent.* Quod tamen aſſertum vereor, ne, quemadmodum nullis rationibus innititur, ſic etiam experientia confirmetur nulla, & maximæ tum bullæ in Fernelii cerebro extiterint dum hæc ſcriptis mandaret, quamvis de bullis à quibusdam practicis exempla adduci videam, quæ tamen me non movent.

II Potius innitendum eſt, ut ſigna cauſarum eruamus, ut ſit contra quod curationis dirigamus telam. Duo autem ſunt fontes, ex quibus ea nobis petenda ſunt, quorum alter antecedentia, conſequentia ſeu effectus alter comprehendit. Teſtatur enim effectus de ſua cauſa, & ex cauſa rurſus de effectu recte judicium fertur.

III. Sunt autem antecedentia ex ægroti petenda confesſione, ſi inſolatione aut frigido uſus ſit, ſi potui largiori aut epulis prægreſſo indulſerit die. Quod ſi factum eſt, triplici modo vinum peccaſſe potuit,

tuit, sanguinem efferendo & calore, cruditate particularum & obstructione inde orta, & acido, ut antea monuimus: quod ex vini ejus loci conditione judicandum est, & ventriculi ægrotantis fortitudine. Si è motu nimio, vigiliis, meditatione, inedia, aut exacerbatione animi sit, si hæc modica fuerint, calore & turgescentia peccare sanguinem credibile est; si à longo temporis spatio, acredinem etiam salibus conciliatam, nec leve malum fore. Si à retentione sanguinis, sive menstruorum subsistentia, sive scarificationis, V.S. & s. intermissione, copiam sanguinis, & secundum pulsum ac reliqua symptomata, etiam fermentationem ejus accusandam esse, putandum. Quærendum etiam diligenter, an alvus respondeat, quod non parvi momenti est. Venenum si hauserit, de ejus qualitate ex effectu judicatur, & vicissim ex qualitate de causa doloris.

IV. Consequentia signa sunt illæ potissimum quas antea nominavimus, doloris conditiones. Tensivus enim & gravans & pulsans sanguinem potius peccare significant, acutus, pungens, terebrans, seri & salium acutiem produnt; & eo quidem majorem, quo magis sunt tales. Accedunt qualitates mutatæ, turgescentia venarum, rubor faciei, frontis calor, & s. quæ sanguinis vitium esse confirmant. Ex respiratione idem etiam colligitur, quæ cum pulsu semper eadem, nisi convulsivis motibus pectus afficiatur, sanguinis statum manifeste & certissime prodit. A sero dolorem esse certissimum etiam signum est diuturnitas. Nam cum sanguinis effervescentia ac turgida elatio, nisi in febrem degeneret, non possit diu perdurare, quin vel à frigidiore aura vel à quiete cito subsidat, vel deferveat ipse, expulsis per poros illis sui partibus quæ volatiles nimiũ sunt, nunquam durabilis est ille capitis dolor qui ex his solis provenit, contra pertinax symptoma causam pertinacem semper arguit. His si conjungas ea quæ in cap. 2. de sero dicta sunt, ad ejus cognitionem sufficientem te perducent.

## Cap. V.

## Prognostica.

Dolor capitis ex se vacat periculo. A sangvinis calore levis, ab acido gravissimus. Modi eventus varii. Hippocrates reliqua dabit.

Ad

I.

AD prognosin accedimus. Dolor capitis ex se ferè periculi expers est, nec unquam occidit. Cum enim membranaceæ fibræ nullum vitale officiū obeant, præterea separatæ iterum coeant, uti in vulneribus patet, nihil ab illis male affectis periculi metuendū. Quod si quid tamen infausti sequatur, non tam ab ipso dolore id est, quàm causa, variis affectibus producendis idonea, quæ dum in vasa resorbetur, aliove defertur, vel simul in membranas & alias partes furit plurimos eadem ac gravissimos affectus inferre potest, quod à sero ut plurimum fit, quod non membranis modò, sed & ossibus, nervis ac aliis, ubi exacerbatur inimicum est. Sic ubi convulsiones vel epilepsia seqvuntur, id fit, quòd impurior latex non modo capitis afficiat integumenta, sed etiam intra caput, in spiritus animales impurus impendatur, eosque impuros constituat. Quod confirmatur exinde, quia nonnunquam etiam dolorem capitis talia symptomata, vel graviora, præcedunt: ut in puella cujus meminit *Piso*, loco sæpius citato *Obs.* 13. Fieri etiam potest, ut nimiis vigiliis miseri consumamur, viribusque exhausti deficiamus tandem.

II. Ratione causarum dolor capitis ille omnium levissimus est, qui ex sola sangvinis abundantia, quem seqvuntur qui ex reliquis sangvinis vitiis trahunt originem: Gravior vero, in quo serum peccat & pertinax: ex hoc vero genere gravissimus qui ab acido est, utpote omnibus nervosis partibus infestissimo. Incurabilis etiam existimatur, qui à vermibus & lapidibus fit. Quamvis dubitandum non sit, posse aliquando manus chirurgicas utiliter talibus admoveri, si de rei veritate certò constet, & extra cranium consistant.

III. Modus eventus ad salutem utplurimum est, & vel insensili confit transspiratione, vel quòd tandem comminuantur particulæ hærentes, & à sangvine absorbeantur, reducanturque in venas, nec ampliùs impedita circulatione æqualiter cum cæteris pervadant minimas illas vias. Id quod nullibi patet evidentiùs quam in illo, qui è crapula est, ubi ut crudæ particulæ ob tonum ventriculi laxatum, & fermentum deperditum, sangvini miscentur, sic tandem post horas 12. aut 16. à reliquo sangvine sensim comminutæ tandem superantur, & intra suas undas absorptæ affligere caput cessant.

IV. Sunt tamen & alii modi eventus ad salutem *ab Hippocrate annotati Coac.præn.t.*172. *A capitis dolore liberare,*ait,*pus è naribus effluens, sputa crassa & inodora, ulcerum eruptionem, interdum quoq; somnum aut alvi fluxum.* Quibus junge *Aph.VI,*10.& Foesii in eum commentarium, post hæc verò *Tulp. Obs. supra citatam* quæ egregiè hunc aphorismum confirmat. Solvitur etiam per sangvinis è naribus profusionem, idque promtissimè.

V. Sed aliorum morborum sæpissime præconem esse, supra monuimus, atque de convulsionibus & epilepsia jam tum citavimus Caroli Pisonis exempla. Crebro etiam in dolores aurium & guttam serenam desinere *celeberrimus Rolfinkius annotavit L. de Part. Corp. Aff. c.* 1. Et de gutta serena quidem *Rhases L. IX. ad Mansorem dolorem vehementem & assiduum, & qui nullis præsidiis cedat, metum futuræ cœcitatis afferre* memoriæprodiit. In abscessum aurium seu apostema terminatum viderunt *Greg. Horst. Obs. II,* 3. *& Forestus IX,* 61. In apoplexiam, memoriæque perditionem terminari, docet *Hipp. VI. Aph.* 57. ac *coac. prænot.* 161. Et simile, quid reperitur *III. de morbis Foes. edit. S.V. p.* 489. *l.* 54. *&* 463, 27. *&* 468, 29. ubi eadem planè repetit.

VI. In febb. acutis dolor capitis modò crisin portendit, modò phrenitidem, modò mortem, cum aliis accidentibus, quibus jungitur infaustus nuncius *V. Porrh. II. aph.* 11. *Coac. præn. t.*119. *Progn. III,* 30.

Reliqua reperies in *coac. prænotionibus à tit.* 160. *ad* 178. continua serie enarrata, quæ omnia exscribere nimis tædiosum foret.

# CAP. VI.

# CURATIO.

Medicina nunc quam olim felicior. Medendi methodus. sangvis quomodo corrigendus. V.S. Arteriotomia. Reliqua. Externa imprimis. Chyli vitium à ventriculo omne pendet. Seri evacuatio universalis & particularis. De Pectinatione observatio. Pharmaceutica. Anodyna. Diæta. Capite aperto incedendum esse, summorum virorum exemplis ostenditur.

I.

Sed tempus postulat, ut salutem tandem nostram ex tot tempestatibus atque periculis, quibus per hunc affectum exponitur, in portum & securitatem deducamus, & quomodo æstuosum sangvinis

gvinis mare compescendum,& animus sævissimis illis procellis exagitatus, componendus atque placandus sit, aperiamus. Ad curationem igitur accedendum est, quam brevibus deinceps pertractabimus, ea quidem methodo, ut vel in hoc solo pateat affectu, quantum hujus ævi in arte medica sagacitas præcedentium superaverit infelicem ac inutilem, ut modestissime dicam, in priscorum dogmatibus non tam explicandis & sequendis, quàm detorquendis diligentiam. Et quis tandem æquo animo ferat doctorum in hoc opere prolixitatem, dum quidam ad sedecim & ultra processerint distinctarum causarum, indeque curationum capita enarranda? Nam primum cephalalgiam ex nuda intemperie, mox ex quatuor primis qualitatibus, tum totidem humoribus, flatibus posteà, è ventriculo, crapula, febre, & quæ sunt alia plurima, in medium attulêre, atque his singulis peculiari ac nova methodo mederi docuerunt: quæ tamen omnia sub seri & sangvinis vitio, sive distensione & erosione comprehenduntur, ut ex iis constat, quæ supra à nobis dicta sunt, & ex curationis porro ratione constabit, quam binis aut ternis capitibus eadem felicitate absolvi posse confidimus. Ante verò quàm ad curationem applices animum, adeas velim *Galeni Comm. de morb. vulg. III*, t. 79. ubi quædam præcepta de doloris medela aggredienda non inutilia reperies. Nunc ab indicationibus nobis erit initium.

II. Indicationes in universum duæ sunt, utrique affectuum generi communes, quarum una causam respicit, quæ tollenda est, altera symptoma, mitigandum. Illa internæ magis remedia poscit, evacuationem & alterationem humorum peccantium, hæc externa narcotica & stupefacientia. Duplex autem causarum fecimus genus, sanguinis remorationem, & seri copiam ac acredinem, quæ duplex est, salsa, primaria, & acida, secundo loco occurrens. Nunc de sanguine videbimus.

III. Peccat sanguis, ut hæc ex antedictis repetamus, vel copia, vel turgescentia, seu elatione. Illâ rarius, nisi sanguinis consueta quædam evacuatio intermissa sit, quam tum promoveri & restitui par est; hâc omnium frequentissimè. Utrique *EX CHIRURGICO FONTE* æqualiter conducit venæ sectio, ita tamen ut primariò conveniat copiæ, secundariò etiam effervescentiæ, quia etiam tum vasa deplet, & vias sanguini reddit faciliores.

IV. Nec supervacanea hic est venarum electio. Cum enim

 non

non præcautionis gratiâ, sed symptomatis jam præsentis tollendi causâ instituatur, longe melius est affectæ parti proximam incidere, ut depleta faciliùs proximè hærentem sanguinem admittat, & sic citò levet ægrotum. Nec veterum solum autoritas & ratio, sed exempla etiam nobis sunt gravissima, quæ id quidem confirmant, plurimi enim solâ frontis venâ sectâ extemplo sanati sunt, morbo etiam pertinaci. Vide *Forestum Obs. IX*, 84. adeo ut non temere *Hippocrates V. Aph.* 68. hanc venam secandam suadeat. *Gabelchoferus Cent. VI. Obs*, 57. scriptum reliquit, quendam cum quater aut quinquies diversis temporibus capitis dolore correptus fuisset, semper ab eo venæ sublingualis sectione fuisse liberatum.

V. Ad arteriotomiam etiam aliquando confugere non foret absonum, si modo ex orco revocari & in remediorum numerum denuo introduci posset, nec à generoso remedio timida adeo abhorreat manus. *Laudatus antea Rolfinkius* post priscorum plurimos, *loco supra citato*, eam laudat, & nullum est dubium, quantò venæsectione hæc generosior est, tantò quoque in hoc affectu magis fore salutarem. Interciperetur enim revera sanguis in via, ita ut ad locum affectum non pertingeret, atque ita in momento solveretur dolor, idque eò magis, quòd in temporibus sæpe maximus omnium dolor sentitur, & arteriæ satis illic oculis pateant. Quod quidem Ægyptiis valde frequentatum esse remedium, & arteriam, tum frontis, tum temporum, tum quæ pone aures est, in cephalalgia diuturna ab iis secari, est *Alpinus* testis *L. de med. Ægypt. c.* 12. *quod vide.* Nec aliud suadet *Zacuti Lus.* experientia, qui *Hist. Med. Princ. P. I, Obs.* 4. se fidissimo, ait, experimento compertum habere, in ipsis temporibus 10. aut 12. hirudines appositas ægrum à sævissimo & pertinacissimo dolore esse liberatum.

VI. Sed ut ad venas paulisper revertamur, mirum est quod *Tonerus obs. II*, 9. de puella refert, illam sectâ venâ cephalicâ intra pollicem & indicem, ab hemicraniâ liberari solitam esse, sectâ verò eâdem venâ in brachio, nullum inde percepisse levamen, sed vereor ne quid imposuerit optimo viro, & rem non satis habuerit compertam, licet idem à se in aliis observatum dicat; cùm nulla ratio illius diversitatis causam monstret.

VII. Ad vires tamen & ætatem in sanguinis missione respiciendum

endum eſt, ne id nobis obtingat, quod medico cuidam quinquagenario obtigiſſe refert *Galenus M. M. XII, c.* 1. cui cum parum vires conſtarent, & dolor capitis invaſiſſet, ſibi ipſi venam incidit, ex eoque à capitis quidem dolore fuit liberatus, ita tamen ut poſtea in pallorem, virium imbecillitatem, ac tandem in atrophiam incideret. In quam hiſtoriam *Vide Zac. Luſ. comment. C. loco, Hiſt.* 5.

VIII. Alterum ex fonte chirurgico remedium nobis ſuppetit, caput ſcilicet faſciâ ligare, quod quidem ne idpropter minus utile exiſtimemus, quod vile, & vulgo notum ſit, ipſa nobis imperat ratio. Duplex enim inde commodum expectare fas eſt. primùm enim ipſa opera ſiſtit ſanguinem, dum impedit, quo ſecius aſſveto cum furore ruat per carnea & membranea ſpatia, ſed mitiore curſu prolabens, rumpere fibras ac diſtendere deſinat. Deinde cum ita per anguſtiores & adſtrictas vias vi pulſus cogitur ſanguis, non poteſt non particulas craſſiores vel alio modo ibi hærentes comminuere magis, ac ſecum abripere in venas: ideoque non in turgeſcentia modo ſimplici ſanguinis, ſed etiam quavis obſtructione viarum ex uſu eſt, illa imprimis, quæ à chyli fit cruditate, de qua mox plura nobis dicenda erunt. Et hoc quidem vetustiſſimum eſſe remedium, inde ſcitur, quod *Plinius* meminit *L. XXVIII*, 7. ubi: *Invenio*, ait, *& faſcia mulieris alligato capite, dolores minui.* Et *Celſus*: *Quidam* inquit, *caput dolens devinciunt, alii cervicalibus veſtimentis onerant.* Quin ipſe *Galenus II. de loc. aff.* 2. Archigenem citat ita ſcribentem: *Porro vaſa vehementer compreſſa capitis dolores ſine inflammatione obortos arcent, velut prohibita in ipſa incurſione, id quod barbaricum vinculum tum maxime perficere poteſt.*

XI. Poſthæc *EX PHARMACEUTICO FONTE* clyſter nobis commemorandus eſt, qui in omni diuturnioris cephalalgiæ, imprimis autem illius, quæ à ſanguine fit, curatione, non unquam negligendus eſt. Non quod ad ſanguinem corrigendum faciat quicquam, ſed quia calor exſiccat feces, & earum remoratur excluſionem. Quod ubi accidit, metuendum eſt, ne tetras & fœtidas exhalationes in venas lacteas remittant, & ſic curatione fruſtrentur medicum. De purgationibus hic nihil, ſed potius Hippocratis præceptum ſervandũ præcipimus, qui *L. de rat. Vict. in m. acut.* εἰδέναι δὲ τοὺς κεφαλαλγίους ἐκ γυμνασίων, ἢ δρόμων, ἢ πορειῶν, ἢ κυνηγεσίων, ἢ ἄλλου τινὸς πόνου ἀκαίρου, ἢ ἐκ ἀφροδισίων - - - τῶν λοιπῶν δὲ μηδένα φαρμακεύειν. *Animadver-*

*advertere autem oportet de iis, quibus caput vel ob exercitationes vel cursus, vel iter, vel venationem, vel alium aliquem intempestivum laborem dolet, horum quidem nullos purgaveris.* Vult enim Hippocrates, ubi à calore seu sanguinis fervore sit dolor, purgantibus uti nos non debere.

X. Ex pharmaceutico porro fonte *INTERNE* conveniunt illa quæ sanguinis fervorem minuunt. Qualia sunt blanda aciditate prædita, ut sirupi omnes, julebi & emulsiones, nomine refrigerantium vulgo nota. Ex illis quidem sir. de herb. acetos. simpl. & comp. acetosæ, acetos. citri, ceras. nigr. de Nymphæa, portulaca, ribes & innumera alia. De Julebis vero ex flor. & aquis rosar. viol. tunic. ceras. nigr. lact. endiviæ & similibus cum ∽ ⊕li philos. striato, ∽ ⊕i & quibus conficiuntur aliis. Sirupus de Papavere etiam plurimum hic valet imprimis ubi somnus simul inducendus est, narcotica blanda vi spiritus occupans.

XI. *EXTERNE EX EADEM CLASSE* epithemata capiti varia licet adhibere. Humida quidem ex refrigerantibus aquis florum & herbarum supra nominatarum, & acetis earundem compositis in quibus splenia madefieri & applicari possunt, & in his de oxyrrhodino omnes medicorum libri percrepant. Quibus adduntur etiam ℴℴ rosatum, violatum, ligustri, myrtinum, nymph. Vel ex seminibus pap. alb. cannab. nucl. pers. mucago sem. alth. psyllii, in +to macer. & cum linteo applicantur. Ligustri flores item & Hippoglossum Heurnius memorat, Populum, solatrum, sempervivum, mandragoræ folia, placentæ ex rosis, & quicquid inde fingi potest, & quis tandem omnia persequi posset. His tamen crocum adde, qui non minus utilitatis quam elegantiæ gratia anodynis omnibus accedit. Mediæ verò consistentiæ sunt unguenta: alabastrinum, diapopul. rosat. refrig. Gal. syncipiti & temporibus admovenda. Utrisque potest addi opii in +to soluti nonnihil quod non modo obtundit sensum, sed & sanguinis impetum frangit. Ingredi etiam unguenta potest succus portulacæ & aliorū. Pulticulæ etiam frontales variæ parari possunt, inter duas syndones adplicandæ, quibus inserviunt semina, mucilagines eorum, flores, & folia plantarum cum farina coquenda in cataplasmatis vel pulticulæ formam.

XII. De his autem refrigerantibus iterum monendi sunt qui saluti humani generis se consecrarunt, ut veterum illud in animo habeant:

beant:

beant: ne quid nimis, & conditionem morbi ac ægrotantium respiciant diligenter. Prostant enim exempla illorum, qui ex levi hoc malo in longe acerbius eo modo conjecti sunt, ex quibus unum afferam à Platero annotatū, nobilis matronæ cui cephalalgia laboranti ex oxyrrhodinorum actu frigidissimorum nimis crebra applicatione cœcitatem accidisse scribit, ad dies vitæ immutabilem, *teste Gabelchofero II, 19. annot.* Cui simile quid refert *Forestus IX, 60.* Imo à talibus actu frigidissimis forte non abs re erit in totum abstinuisse, quamvis à nonnullis valdopere commendentur: *πᾶν γὰρ τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον*, & contra: Το *θερμὸν δέρμα μαλθάσσει, ἀνώδυνον.*

XIII. Hæc ita de sanguinis proprio vitio dixisse sufficiat. Inter quod & seri culpam commodè interponitur chyli cruditas, utpote qui in serum pariter ac sanguinem consumitur. Et chyli quidem nondum perfecte in sanguinem mutati particulæ minus comminutæ, ubi peccant, & hærent in interstitiis, à ventriculi imbecillitate pendere malum existimandum est, qui debito fermento destitutus, non benè separat noxia ab innoxiis, itaque ad eum restituendum omnis ratio curationis dirigenda est. Deinde danda quoque opera est, ut sanguis exaltetur, & volatiliores ejus reddantur partes ac puriores. Utrisque satisfaciunt indicationibus spirituosa, volatilia, alcalina calidiora, & maxime omnium ex his aromatica, atque illa quæ in stomachicorum classe à rei medicæ scriptoribus recensentur. Quæ cum ubique extent, & nobis nunc capitis non ventriculi salus sit curæ, hic repetere supervacaneum existimamus.

XIV. Ad seri vitium excutiendum accingimur, quod & magnitudine periculi, & afflictionis acerbitate & difficultate curationis reliqua longe superat. Nam & altius particulas suas acutas & penetrantes infigit fibris, non facile inde præterlabenti forte sanguini eluendas, & hærens ac subsistens, perpetuo fomite morbum alit. Cum autem conjunctum sit serum sanguini & in ejus vasis vel actu contineatur, vel ad ea tendat, ad sanguinem iterum respiciendum est, qui hostem hunc sibi commistum in ipsis visceribus ad sui perniciem per corpus circumfert.

XV. Et hic nascitur controversia an purgatio conveniat. Dubium movet *Prosper Martianus acutissimus Hippocratis interpres In de rat. vict. in m. ac. p. m. 413.* ubi in explicatione illorum verborum: *Nosse porro oportet, eos quibus caput dolet ab exercitationibus* &c.

quæ

quæ antea adduximus non modo in calida causa, sed & serositate, non per inferiora, sed superiora potius, sudorem aut urinam evacuandum esse. In cujus sententiæ firmamentum Hippocratis ejusdem aphorismum adducit: *Dolores supra septum transversum qui purgatione egent, per superiora purgandum esse significat.* Sed quemadmodum in ipso textu ne verbum quidem de serositate Hippocrates facit, ita & serum in tota massa sanguinea, non solum capite, ut plurimum abundare in nostro affectu existimamus, ideoque Purgationes hic non admittere tantum, sed & præcipere & maximopere laudare, quoties serum abundat nimium, nulli dubitamus. imprimis cum præstantissima illud educentia medicamenta nobis suppetent. Sed urget tamen Martianus sequenti pagina hanc suam sententiam ubi ait: *Prohibet tandem Hippocrates purgationem iis, qui à doloribus valde molestantur. Præceptum à plerisq; medicorum in hominum perniciem neglectum, ubiq; tamen ab Hippocrate inviolabiliter observatum,* & quæ seqvuntur. Quod ad capitis dolorem etiam pertinere non iniquè quis opinetur. Id enim negari non potest, purgantibus sangvinem turbari ac fermentari, quod non potest non augere dolorem. Motus præterea corporis & capitis, & excernendi conatus adeo nonnunquam dolorem efferunt, ut à lipothymia non multum absit æger. Verùm hæc non tanti sunt, ut à nostra sententia nos abstrahere possint, manet enim firmum axioma, morbum non tolli nisi causa tollatur. Ut autem objectionibus illis satisfaciamus, ita statuimus: Primum, non nisi urgente admodum causa in capitis dolore purgandum esse, id est, quoties tanta seri copia adesse videatur, ut nec sudore, nec transspiratione discuti posse appareat, & præterea in toto corpore serum abundet. Deinde, ubi per intervalla dolor redire solet, nunquam illo præsente, sed postea quam abscesserit, purgari volumus. Ubi vero aliter accidit, diligenter vires ægroti excutere jubemus, quid ferre recusent. Abundat autem serum imprimis in iis qui catarrhis obnoxii sunt, & fluxionibus, quos solis nonnunquam purgantibus restitutos esse, testantur observationes quamplurimæ, & *Tonerus* quidem *L. II,* 5. pharmaco ex MP. *de agar.* ℈j ß. *aur. coch. a.* ℈j. *diagr. gr. iij. c.* ▽ *beton. in pil. redactis*, sine alio medicamento levatum esse ægrum, & *seq. Obs. II.* Pilulis ex MP. *aur. coch. sine quibus à* ℈j. *cum* ▽ *beton.* idem se præstitisse asserit. Cristallos ♁ catharticas nonnulli commendant, quod potenter & in parva dosi serum educant. Præscribit etiam

lau-

laudatus *Tonerus obs. II*, 10. species purgantes pro hydromelle egregias, quod pro lubitu in vinum mutaveris.

XVI. Post evacuantia universalia particularia capitis in conspectum prodeant, ex quibus primo loco errhina recensenda sunt, quæ & jucundius & tutius & promtius etiam, quia propius, humorem eliciunt. Cui rei inserviunt post tabaci folia & ▽ majoranæ, beton. lil. convall. nigellæ, betæ, rutæ, cucumeris, cyclaminis succus, & plura alia. Anagallidis succum, item semen rosæ & iridem naribus subducta sternutamenta movere, & caput purgare *Plinius* prodidit *XXI*, 19, & 20. quæ tamen ob præstantiora, quibus abundamus, in usum non trahuntur. Hæc autem præprimis juvant, ubi in syncipite dolor est, & ubi ad nares sponte humores vergunt, quos non è partibus modo externis, sed & ipso cerebro prolicere, credibile est.

XVII. Sternutamenta vesicatoria & setacea excipere æqvum est, quod ut illa antice, sic postice hæc in nucha serum educunt. Et huc trahendũ est illud, quod sæpe citatæ Tulpii observationi adnexum est preceptum de ulceribus excitandis, quod opportune admodum Piso exsecutus est eo modo, quem *c*. 2, 9. enarravimus. *Gabelchoferus* etiam hæc confirmavit novo & singulari experimento *Obs. cit. II*, 19. ubi de medico quodam narrat, in gravi capitis dolore ranas virides vivas capiti subinde aliam atque aliam eum apposuisse, donec morerentur, unde vesiculæ tandem parvæ exortæ sunt, quibus apertis aqua citrina vel lutea effluxit, ægerque convaluit. Et de his quidem ita sentiendum est, quicquid in sangvinis vitio à V. S. expectari potest, hoc, ubi serum peccat, ab his remediis sperare fas esse, ita ut hæc quasi duæ chirurgiæ manus sint, illa dextra, sinistra vero hæc, quibus capitis dolori utrinque medelam faciat.

XVIII. Post hæc manifeste educentia remedia alia supersunt, manualia itidem, non tanti tamen momenti, quamvis non minoris aliquando utilitatis. Sunt illa tonsura capitis & pectinatio. Ut enim mulieres nostræ, quia prolixum nimis capillitium alunt, quo transspiratio impeditur, dolore capitis assidue vexantur, ita dubitandum non est, illo sublato, & poris patentibus contrarium obtineri. De pectinatione autem notatu dignissimum vidimus ipsi exemplum in illa virgine, cujus antea mentionem fecimus. Ea enim post frustra adhibita remedia plurima maximi nominis, tandem ab hemicrania sua menstrua, nobis etiamnum præsentibus, liberata fuit, non alio

 gene-

generofiore, nisi quod singula nocte probe pectinata in lectũ secederet; ea quidem lege, ut quoties hanc consuetudinẽ negligeret, in eundem illico recideret dolorem. Quod ita accidit, tum quia subcutaneus dissipabatur humor, tum quia per noctem sub tegminum calore liberius per poros transspirabat. Ex quibus discere est, remedia quamvis levissima & gravioribus quibusdam viris contemtui habita, maximis sæpe morbis tollendis apta esse. His etiam annumeranda est Aquapendentis Fabritii in dolore capitis nova serum dissipandi ratio, qua svadet, loco cauteriorum, quæ aliqui in dolore capitis adhibuere, abrasis sagittalis suturæ capillis subjecta charta bibula, cochleare cum prunis supra locum obducere ad sensum doloris, eodem modo, quo vestes emaculantur.

XIX. Sed *PHARMACEUTICUM GENUS* adeundum est, ex quo *Diuretica* & *Sudorifera* ac *diaphoretica* multum conferre possunt, & à plurimis cum summa euphoria exhibita sunt, quorũ hæc crudiora & fixa nimis volatilisando & crassos humores discutiendo, ut illa expellendo juvant, & ubi cum catarrho, vel ex pororum constipatione malum ortum traxit, præ cæteris conducunt. Horum recensere catalogum non opus existimo, quis enim post theriacalia, misturas ac pulveres bezoardicos, & ex antimonio parata sudorifera ignorat? quæ sola possent sufficere, ut de ♁ C.C. etſ. nihil dicam. *Vide nunquam satis laudati Rolf. Ord. & Meth. Medic. comm. VI. à c. 1. ad 10.* Quibus addo *pilulas* Starkii seu Matthiæ, medicamentum ex opio singulari modo correcto confectum, in Anglia repertum, & quod ibi ingens nomen acquisivit ob præstantissimas virtutes, quibus pollet in omnibus à sero affectibus per diaphoresin & diuresin operando, cujus descriptio plurimis in arcanis est.

XX. *Alterantia* hos seqvuntur ingenti exercitu, omnia scilicet ea quæ ⊖ vol. & ♀eis particulis abundant. Quo pertinent plantæ vulgo dictæ cephalicæ, quæ per se & præparatæ vario modo in usum veniunt. Ex illis sunt majorana, thymus, serpillum, mentha, betonica, spicanardi, stœch. arab. lil. convall. calamentha, orig. anthos, puleg, & non ultimæ dignitatis ruta. Quarum aquæ & sirupi commodas potiones constituunt. In his miris modis verbenæ aquam extollit *Sennertus in praxi*, qua de collo suspensa incurabilem & cum levi deliramento conjunctam cephalalgiam miraculi instar se abegisse *Forestus* refert *Obs. IX, 52.* cujus rei tamen vix mihi fidem facit,

cit, qui suspensis è collo maximè diffido. Sirupum verò de betonica & salviam *Gabelchoferus* etiam supra modum commendat, hac sola curatos quamplurimos ajens, non à dolore tantum capitis, sed gravissimis quoque aliis ejus affectibus. *Obs. II, 39.* Non commemoro conservas herbarum nominatarum & alia, diapæoniæ, dianthos, diacorum, porrum laudat *Plinius, XX, 6.* nec fortasse inique, nam allium, quod ferè ejusdem notæ, *Forestus* in causa serosa citat, eoque solo in Gallia hydropicum se sanasse affirmat. Ex chimicis ⁓ ✱, ♀, C.C. supra memoratus, &c. huc trahenda, ut taceam elixiria cephalica Rolfincii, aliorumve, nota jam in vulgus medicorum remedia.

XXI. Ubi acidum abundat, spirituosa & 🜍ea dicta maximè juvant, cujus rei testis est ⁓ ⊕i ⊖isve dulcis, ubi acerrimi isti 🜆i sola admistione mitescunt, & in dulcem abeunt liquorem.

XXII. Aromatica etiam, quia 🜍 & ⊖ vol. abundant, reliquis associanda sunt, & hæc in pulveres, tragemata, morsulos cephalicos cum supra nominatis & aliis cogi apta sunt. Quibus accedunt spec. diamosch. d. arom. ros. vel harum compositionũ loco compendiosiore via ☍ aromatum super manus Christi illiniri possunt, ad expertissimi *Ludovici* mentem *Pharmac. sua diss. 1. p. m. 59.* expositam. Et hæc omnium maximè conveniunt, ubi vel stomachi imbecillitas vel pituitosa materia seu seri coagulatio in causa est, quale exemplum supra memoravimus ex Tulpio. Quo tempore etiam ⊖ vol. ☍osum Sylv. non infimi subsellii adjumentum reputandum erit.

XXIII. Alteram post hæc classem constituant pulveres absorbentes ex conchis, unic. foss. pulv. bezoard. omnis generis, ♋ oculi, corallia, & quæ sunt alia, cinnabarina imprimis, quæ partim serum in ipso ventriculo & intestinis absorbent, & ita ne per venas lacteas in vasa progrediatur, præveniunt, partim etiam diaphoresi expellunt, ut experientia nos docet quotidiana.

XXIV. In inveterato & desperato quasi malo decocta lignorum, sassafr. gvaj. Chinæ, sarsap. plurimùm juvare posſunt. Quibus corylum & alia nostratia ligna non infeliciter posse substitui aliqui ex hodiernis subolfaciunt. Et in hoc remedio maximum esse auxilium credo, quod salium acrimoniam partim obtundendo ac particulis volatilibus & diaphoreticis volatilisando mutent, aut expellant, partim diluendo edulcorent, quod aliàs ipsas etiam insipidas aquas efficere notissimum est, cujus rei notabile suppetit exemplum,

quod hîc inserere lubet. Ex vini austeri potu, (ut tali nunc omnium facillimè lædor,) altero manè maximum ventriculi ardorem percipiebam. Consilium inii, quod molestum esset, evomere. Itaque irritata statim gulâ, acidissimum liquorem per os effundo satis magna copia, (nam ob gravitatem & aciditatem in chylum volatilisari per noctem non potuerat,) & dictum factum liberatus fui. Ubi vero aqua simplici os eluere cepi, iste liquor, qui acore mihi fauces constringebat, ac stuporem dentibus induxerat, in momento talis mihi evasit, ut lac omne dulcedine superaret; nec quicquam dulcius unquam gustaveram, adeo vera sunt *Philolosophi* verba *supra c.* 1. § 8. *in fine* à nobis adducta. Decocto lignorum addit se socium decoctum Cha (nostra pronunciatione Tscha sonat) quo nomine Tartarico per orientem omnem appellatur, quod ex Chinensium maritima parte nostratibus herbæ Thee vocabulo innotuit: dignum, quod ob insignes virtutes internorum remediorum claudat agmen. Tantis enim laudibus ab autoribus rerum Indicarum elatum est, quantis nostratium herbarum nulla, ita ut non capitis dolori modò, sed & reliquis ex sero morbis unice mederi, uno omnes ore testentur, ejusve ope suaves sine dolore dies non modo, sed & insomnes sine noxâ ducere noctes licere contendant. Quod an de myrto sua Brabantica expectare habeat, videat *clarissimus alias & insignis vir Simon Pauli.* Imprimis attendi nunc meretur exemplum *Alexandri Rhodii*, ab ipso adductum *p.* 24. *qui, hemicrania, vel alio quodam capitis malo infestatum à potu hujus aquæ ita ab omni dolore liberatum se fuisse* ait, *ac si detractum manu morbum ipsi aliquis ademisset*: Cæterum fruticem esse, & Rhuis speciem ex *Nieuhofii descriptione legationis Batavicæ ad magnum Tartariæ Chamum* discere est, qui omnium optime nobis herbam Thee descripsit, tum quoad externam speciem, tum quoad virtutes, longe post se relinquens cucullares illos scriptores, qui utplurimum non tam suis quàm aliorum oculis vident; ore loqvuntur.

XXV. *EXTERNÆ* quæ conducunt, non minus numerosa sunt. Et hîc quidem non refrigerantia dico epithemata, sed potius calida, discutientia & attenuantia. Qualia sunt radices galangæ, zedoariæ, cyperi; semina, cumini, carvi, nigellæ, torrefacta, & cum linteo capiti circumvoluto applicata. Aromata etiam omnia, & euphorbium, è quo ceratum antiquis celebre fuit. Ex oleis vero laurinum,

myr-

myrtinum, nardinum, rutæ, spicæ, sambuci, & omnium celebratissimum succini. Balsama & aquæ apoplecticæ, ♒ *lil. convall. lumbric. terrest.* ▽ *Anhaltina.* Camphora hîc quoque commemoranda, quæ quantum hic plurimorum valeat suffragio, disci poterit *ex Mœb. tr. de ea conscripto c.* 14. Huc tandem trahendæ omnes herbæ ac flores cephalici antea recensiti, quibus ex *Plinio* addere possemus menthastrum, melanthium, & florum reginam anemonem. Verum hæc vel obsoleta sunt, vel parvæ utilitatis, ideoque silentio sepeliri merentur potius, quam ex antiquitate tanquam ex orco revocari. Supra vero nominatæ plantæ grosso modo contusæ cum aromaticis speciebus & gummatibus odoratis, thure, benzoe, storace mistæ in cucupham adornari possunt, illis potissimum usurpandam, quibus diuturnus & difficulter cedens dolor molestiam facit, & qui ab aëris injuriis facile læduntur. Ex compositis emplastrum de ranis miræ efficaciæ esse *Platerus* docet *Obs. L. II. l. de cephalæa cum uterino dolore*, & adhibet cum empl. de betonica & de alabastro dimidio.

XXVI. Atque his tandem priori indicationi, quæ causam respicit, videmur satisfecisse, in quibus non ea quidem omnia commemoravimus, quæ adduci hic possent, sed præcipua tantum, omissis etiam ex industria quæ incerta videntur, vel magica aut occulta vi agere aliis dicuntur, vana illa omnino & inania existimantes, quorum plurima collegit *Forestus in Schol. post Obs. IX*, 52. Et ita quomodo dolorem in se spectatum tollere conveniat, ostendimus. Sed quoniam non modo ut dolor, sed etiam respectu ad alia ipsum sequentia symptomata habito tractandus est, ex quibus vigiliæ sunt, quibus ægrotos solet conficere, anodyna & somnifera nobis tangenda restant. Sed paucis hæc expediemus, cum magna pars anodynorum in epithematum refrigerantiũ classe jamtum proposita sit, quæ mulcendo & leniendo dolorem auferunt. De eorum vero modo agendi *cap.* 1. etiam satis dictum fuit, ubi ostensum est, implendo poros & jungendo solutum contiuuũ, ea agere: sed simul & obtundendo, & revera alterando acutas particulas, ac rotundiores illas efficiendo, ita ut suaviter & placide per poros effluant, id quoq; præstare, non est dubium, ex quibus patet, non simpliciter anodyna hæc esse, sed revera alterantia, & sincerum remedium. Hypnotica igitur sola in medium adducimus, papaveris, mandragoræ, hyoscyami semen, quæ tamen

omnia ne multum desideremus, opium facit, quod unum instar omnium est, & epithematibus illis, ut jam supra innuimus, admiscetur, quoties urgent vigiliæ, sive solum, & per se, sive in compositionibus, Philonio Romano, req. Nic. theriac. rec. sive externe, sive interne id fiat, in forma magisterii, tincturæ, pilularũ, quorum omnium formulas vide *in opiologia VVedeliana*. Ad somnum conciliandum faciunt etiam pediluvia, quatenus nervorum extremitates demulcent, & ~ animales blande afficit eorum calor, (quod Helmotiano idiomate est Archæum furentem sopire,) ideoque iis plurimus in dolore capitis usus est, nemini tamen crebrior quam *Gabelchofero*, qui illa nunquam non adhibet, adeoque si quis eorum tum materiam, tum formulas desideret, adeat ejus observationes, nobis enim diutius his immorari non lubet.

XXVII. Superest DIAETAM præscribere; sed cum ex illis quæ de causis commemoravimus, facile quid fugiendum ferendumve cuique sit, perspici possit, pauca hic monuisse sufficiat.

Aer itaque non sit nimium luminosus, nam dolentes lumen refugiunt.

E cibis sunt quidam, qui proprie & per se capiti dolorem inferunt, ut lac, quod nocere ait *Hipp. aph. V. 64.* Castaneæ, nuces juglandes & avellanæ. De leguminibus dictum est supra. Columbas falso accusat Rhases idem efficere. Coriandrum in secunda mensa apponatur, ex *Avicennæ* jussu *canon. II, tr. 5. c. 2.*

A motu abstinuisse, rerum omnium est primum, non solum corporis, sed animi, ira imprimis. *Nihil magis salubre* ait idem *Rhases, quam animi tranquillitas, cibus exiguus, & somnus multus.* Lectione etiam & sermone se abdicat æger; ea enim vehementer dolorem capitis augent, quia sanguinem in circulatione remorantur, & in capite detinent.

Ut transspiratio libera, alvus aperta sit, det operam sedulo medicus & æger.

Nec pigeat coronas sumere in futuri triumphi ac victoriæ argumentum. Non laureas tamen, sed verbenaceas, roseas, hederaceas. Ita enim veteres solebant, qui usque adeò sertis & coronis delectati sunt, tantasque apud illos earum usus fuit, ut non modo has, quas modo nominavi, commendaverint *Galenus*, & *Plinius*, verum hic etiam humanam luxuriam iis satiari non potuisse scribat, sed ex

auro

auro & argento folia texere cepisse, pretiosisque unguentis perfudisse, quasi parum esset à natura elargitis perfrui, nisi aut illam vincere aut dehonestare tentassent.

Ultimo si non abigere modò, sed prævenire capitis dolorem volumus, meminisse oportet illius, quod supra de Persarum capitibus dictum fuit, & à primis annis ad omnes aëris injurias adsuefieri. Ita enim, futurum, ut ait, *Sinesius*, ut brevi pro osseo ferreum sit nobis caput, & omni morbo inaccessum. Quod de Hannibale, Divo Julio, Masinissa, Hadriano, Severo, (at quantis viris!) *Alexander ab Alexandro* refert *Gen. dier. II*, 10. qui caput aperiendi longa consuetudine tantum firmitatis adepti sunt, ut sive sol esset, sive imber, sive frigidum tempestuosumque cœlum, etiam hyeme sæva & nivosa aperto capite prodirent, iter facerent. Hinc capita aperiri aspectu magistratuum, non venerationis causa jussisse majores, sed ut Varro autor est, valetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent. Atq; hinc sua cuique virtuti, etiam quoad corporis bona constare præmia colligimus. De exemplis tamen modo allatis illud monere habeo, in nostris regionibus non in omnibus, nec omnibus ea esse sequenda, cum cœlum nobis asperum præ Italico, & hyemali tempore ferreum obtigerit, ideoque frigore regnante nisi integumentis probe munitis vix impune subeundum, præsertim delicatulis. Itaque se quemque hic metiri suo modulo conveniet.

